Catholico-Romanus PACIFICUS.

47. F. 12. 70

Auctore,

JOANNE BARNESIO,

Benedictino Anglo.

BIBL. CANT. CAD.

OXONIÆ,
E THEATRO SHELDONIANO
Anno MDCLXXX.

1546:02

LECTORI PRÆFATIO.

POST Eraſmum, Caſſandrum, Wicelium, Modrevium, alioſque Romanæ Eccleſiæ alumnos, qui etſi ejus erroribus & corruptelis ſerio ingemuerint, ſpe tamen reformationis promovendæ detenti, in ejus communione uſque ad mortem permanſerunt, locum ſane aliquem meretur Joannes Barneſius Anglus, monachus Benedictinus, Auctor libelli de Æquivocatione olim editi, & operis irenici quod hic exhibemus, cui titulum fecit, Catholico-Romanus Pacificus.

Quam infelici vero instituto hæc & alia hujusmodi scripserit, eventus qui demum secutus est indicio fuerit. Bonus *enim ille* Irenæus *(Johannis Basier S. Th. P. verbis uter, in diatriba de antiquæ Ecclesiæ Britannicæ libertate, Brugis impressa An.* 1656.) tametsi vitæ inculpatæ, & famæ integræ fuit, media Lutetia correptus, suo habitu exutus, & quadrupedis instar, barbarum in modum alligatus ad equum, & ita vehementissime avectus, primo in Flandriam, deinde Romam, ibi in Inquisitionis barathrum, deinde in maniacorum ergastulum erat detrusus.

Ne autem nos lateat qui fuerint Tragediæ

Tragediæ hujus architecti Leodegarius Quintinus, alias Theophilus Raynaudus, Societatis Jesu; in libello inscripto, Theologia antiqua, de veri martyrii adæquate sumti notione; *Lugduni impresso An. 1656. p. 7. in monitiuncula ad Lectorem, dicit*; Joannem Barnesium, Jesuitis admodum infensum, ob nonnullas suspiciones de comperta illis vita sua, eo loco fuisse apud Paulum V. ut eum tanquam novæ fidei fabrum, per Albertum Austriacum è Gallia abductum, & è Belgio Romam avectum, judicaverit carcere dignum, donec emoto cerebro inter fatuos, pone S. Pauli minoria ædem sacram, fatuari desiit cum aliorum periculo.

Liber

Liber hic cum Auctore tenebris diu damnatus, tandem aliquando in lucem prodit, fide trium exemplarium subnixus; quorum unum Reverendissimus in Christo Pater Gulielmus providentia divina Cantuariensis Archiepiscopus; alterum Illustrissimus Angliseiæ Comes, Privati sigilli Regii Custos; tertium Reverendus Ecclesiæ Paulinæ Decanus suppeditavit.

Nec Editori vitio vertat Lector, si hic quædam subinde occurrant, à Reformatorum placitis aliena; siquidem officii sui esse ducit, libros edere non fingere. Et si pacis studio transversum actus, veritatem quandoque subticuerit Barnesius, veniam is criminis merebitur,

tur, cujus dudum tam acres pœnas dederat; posteris documento futurus, Catholico-Romanum Pacificum, *patrum societatis Jesu, & summi Pontificis sententia,* carcere dignum, & fatuis, emotæque mentis *homuncionibus, certissime accensendum.*

IN-

INDEX.

Sect. 1. De sacra Scriptura & Traditione. pag. 4.
2. De Conciliis, Papa, & Schismate. 39.
3. De Privilegiis insularum M. Britanniæ. p. 48.
4. De Catholica Ecclesia Romana. p. 63.
5. De Justificatione, Meritis, bonis Operibus, & Certitudine salutis. p. 69.
6. De Sacramentis eorumque numero. p. 78.
7. De Baptismo, Eucharistia, & Missa in lingua vulgari. p. 88.
8. De Pœnitentia, Confessione, & Satisfactione. p. 110.
9. De Purgatorio, & Indulgentiis. p. 121.
10. De Invocatione Sanctorum, & adoratione Imaginum. p. 131.
11. De Peccato Originali, libero Arbitrio, & Legibus divina & humana. p. 138.
12. De Ordinibus, Clericis, Monachis, & Votis. p. 148.
13. De primatu Papæ, & suprematu Regum. p. 160.

CATHOLICO-ROMANUS PACIFICUS.

PRÆFATIO.

DELINEABO, ſtudioſe Lector, tanquam in Cebetis Tabula, quid, ſalva communione Catholicæ Romanæ Eccleſiæ, & hoc ſeculo docetur, & ante hoc ſeculum edoctum fuit à præſentis & ſuperiorum temporum Catholicis celebratiſſimis, quorum memoriam honoramus, & qui vel degunt, vel demortui ſunt piè in Chriſto & Catholica communione.

Scopus hujus ſcriptionis eſt, ut auferatur anſa & occaſio, quam libenter plerique arripiunt fugiendi Catholico-Romanorum communionem & conſortium, quia vident in eis quod fugiant, etſi eis compertum non ſit, quo fugiant; ut [a] vir doctus hujus elapſi Centenarii de ſe faſſus eſt.

Profero enim quid Pacifici amplectantur, ut intelligant, ſine ſchiſmatis periculo, & ſine ſalutis diſpendio, Communionem illam Eccleſiæ veteris Imperii Romani, in qua

[a] *Caſſand. de offic. viri pii.*

tot pii Orthodoxi obdormierunt in Christo; læsa concordia & caritate, sub prætextu abusuum, derelinqui non posse.

Rogo obnixè meminerint, Christum adeo commendâsse reconciliationem & pacem fraternam, ut sine ea nolit suscipi sacrificium altaris; Paulumque obtestari, se sine caritate nihil fore.

Et quia pronum est cuivis de hoc scripto meo pro beneplacito & juxta captum suum judicare, unicuique permitto judicium de me & meis liberum, modo sit caritativum.

Tale ut sit, intelligat sat esse Christo & Catholicæ-Romanæ Ecclesiæ in hac opella inserviisse, cui me perquam humiliter subjicio, ut corrigatur, ficubi hic erratum, aut plus minusve quam oportuit, scriptum.

Interim sciat me manere, & per Dei gratiam manfurum in unione Catholicæ Ecclesiæ antiquæ. Scio enim odium, lites, discordiamque ei moveri non posse sine Numinis offensa. Ex alia vero parte, nec Ecclesiæ, nec pijs displicere debere, si juxta liberam optionem à Christo datam, eligam ex veteribus & novis Doctoribus, quod noverim proteruitate ingenioli magis Christianum, verum, & catholicum. Constitentibus enim intra limites & cancellos Orthodoxæ Ecclesiæ licet

cet *probare Spiritus si ex Deo sint*, & post probationem eorum, fas est, quod bonum est, seligere & tenere; quod malum est, refutare.

Id si fecero, ut laudetur Christus, ædificeturque proximus, in hac brevi synopsi, perveni ad extremam desideriorum meorum lineam. Interim his fruere. Vale.

De sacra scripturâ Regula fidei, & Traditionibus.

SECTIO I.

DUO sunt quibus Ecclesia inter credendum opinandumve regitur, & eorum cuivis, etsi non æqualiter alterutri, summopere defert. [a] Prima est Regula infallibilis, cui Catholica fides innititur. Ea autem in solis sanctis Scripturis continetur. Canon autem Scripturarum, quas Universalis Ecclesia Græca & Latina in VI Synodo Can. 2, recipit, ex 84 Apost. & Synodo Carthag. Can. 47, cum exactè explicante, traditur & consignatur. Secunda est, suprema Ecclesiæ autoritas, quæ in Decretis Synodorum, scriptis Patrum, Populi Christiani receptis consuetudinibus, elucet.

Juxta hæc duo capita de Traditionibus judicium est ferendum. Nam illæ quæ spectant ad Praxim Ecclesiasticam & ceremonias, referuntur ad Ecclesiæ autoritatem: Illæ vero quæ dogmata tradunt, in verbo Dei scripto, aut actu, aut δυνάμει continentur.

Par-

Paralipomena ad Sect. 1.

I. [a] Pulchre S. Cyprianus confirmat hanc Theſin in Epiſtola ad Pompeium contra Epiſtolam Stephani, ubi *omnem traditionem dogmaticam vult deſcendere à Scriptura: facienda quæ ſcripta ſunt, Deus teſtatur: Si ergo aut in Evangelio præcipitur, aut in Apoſtolorum Epiſtolis, aut Actibus continetur, obſervetur etiam hæc ſancta traditio.* Et poſtea *Scripturas* vocat *Compendium ex quo religioſa mentes errorem deponant, & inveniant & eruant veritatem. Si in aliquo nutaverit aut vacillaverit Veritas, ad Originem Dominicam & Evangelicam & Apoſtolicam traditionem revertamur, & inde ſurgat actus noſtri ratio, unde ordo & origo ſurrexit.* Sed quia Bellarm. l. 4. de verbo Dei. c. 11. ait, Cyprianum hæc aſſeruiſſe, *cum errorem tueri vellet, more errantium*, oſtendo celebres Patres omnium ſeculorum hoc aſſertum Cypriani tradidiſſe, ut ut quandoque Tertulliano poſteriores incautè lapſi ſint in illius ſententiam, qua defendit Non-ſcriptas traditiones dogmaticas extra Verbum Dei: contra quam tamen ſententiam ipſemet Tertullianus catholicus pugnavit, ut poſtea dicetur.

Irenæus lib. 3. adverſus hæreſes, cap. 1.

ait, *Apostolos Evangelium per Dei voluntatem in Scriptura nobis tradidisse, fundamentum & columnam fidei nostræ futurum*; & per hos ait nos *dispositionem salutis nostræ cognovisse*. Et cap. 2. ait fuisse hæreticum hunc cavillum, *Cum ex Scripturis arguuntur, in accusationem convertuntur ipsarum Scripturarum quasi non recte habeant, neque sint ex authoritate, & quia varie dicta sunt, & quia non possit ex his inveniri Veritas, ab iis qui nesciant traditionem.* Aitque Hæreticos dixisse, traditionem Apostolicam, *non per literas traditam esse, sed per vivam vocem.* Censura Irenæi quæ hos percutit, est, *hos perversos, semetipsos, regulam Veritatis depravantes, prædicare non confundi.* Ex quibus patet Irenæum dum opponit hæreticis traditiones Non-scriptas, uti argumento ad hominem, ut ostendat hæreticos, *neque Scripturis neque traditioni consentire.* Quod urget cap. 2. citato. Et lib. 2. cap. 46. ait, *regulam veritatis* esse, *quæcunque aperte & sine ambiguo ipsis dictionibus posita sunt in Scripturis*; ex quibus *ambigua*, & difficiliora *absolvi* posse contendit. Et cap. 47. *Si omnium quæ in Scripturis requiruntur absolutiones non possumus invenire, nihilominus*, ait, *sciamus, quia Scriptura perfecta sunt*, & defectum provenire ex nostra imbecillitate.

II. *Origenes* hom. 1. in Hieremiam, ait, *enarrationes sine Scripturis testibus non habere* fidem. Et Tract. 25. in 23, Matt. *Debemus ad Testimonium omnium verborum quæ proferimus in doctrina, proferre sensum Scripturæ, quasi confirmantem quem exponimus sensum. Omnis sensus qui fuerit extra divinam Scripturam, quamvis admirabilis videatur quibusdam, non est sanctus, quia non continetur a sensu Scripturæ.* Et lib. 3. in cap. 3. Epist. ad Rom. ait, *ea quæ Doctores Ecclesiæ loquuntur ad populum, divinis munita testimoniis proferant: si enim tantus ac talis Apostolus Paulus autoritatem dictorum suorum sufficere posse non credit, nisi doceat in lege & prophetis scripta esse quæ dicit, quanto magis nos minimi observare hoc debemus?* Et Dial. 3. contra Marcionitas de Resurrectione inter Marinum hæreticum, Eutropium Philosophum Judicem, & Origenem Catholicum, *solis Scripturis credendum* ait Marinus: *sane Scripturis suadeamus*, ait Origenes. Et Judex definit, *apertum & confessum est, quæ sit assertio utriusque*, nempe solis Scripturis suadendum & credendum.

III. *Tertullianus* in lib. Præscript. cap. 4. ait, Regulam quæ *præstuit hæreses fugiendas, esse Dominicas prænunciationes, & Apostolicas literas.* Et c. 2. *Non est Curiositate opus post Christum, nec inquisitione post Evangelium. Cum credimus,*

dimus; nihil desideramus ultrà credere. Hoc enim prius credimus non esse quod ultra credere debeamus. Ubi autem sit Evangelium explicat statim; c. 14. *Scrutamini*, inquit, *Scripturas, in quibus salutem speratis. Fides in Regula posita est; habes legem, & salutem ex observatione Legis. Adversus regulam nihil scire, est omnia scire.* Et postea cap. 15. respondet tacitæ objectioni: *Hæretici de Scripturis agunt & suadent*; aiens, hoc mirum non esse, quia hæretici astutè hoc faciunt, ut decipiant; sciunt enim nullam esse aliam regulam quæ tractat de rebus fidei præter Scripturam. *Aliunde scilicet loqui possent de rebus fidei nisi ex literis fidei?* Ex quo loco patet Arrianos argumentantes ὁμοούσιον non esse in Scripturis, arguisse ad hominem contra Catholicos, quibus tunc notum erat nihil extra sacras literas credendum. Nam ut Gregorius Nyss. (Tom. 1. operum Edit. Parisiens. pag. 926) in lib. de Anima Ait, οὐδεὶς δὴ ἐκ τῶν ἀμφιζαλλομένων συνάγει τὸν συλλογισμὸν, ἀλλὰ ἐκ τῶν ὁμολογουμένων, *Nemo argumentatur ex controversis, sed ex confessis principiis.* Porro Tertullianus prædicti libri de Præscript. cap. 52. docet, spectare ad hæresin Cataphryg. (quam ipse postea miserè amplexus est) *Paracletum plura in Montano*

tano dixisse quam Christus in Evangelio protulit. Hæresis ergo Montanistarum est, credere a Deo dici plura quam sunt in verbo scripto.

IV. Indicant id scripta *Tertulliani* jam Montanistæ lib. de corona militis, cap. 1, 2, & 3. ubi contendit gestationem coronæ Castrensis in capite prohiberi consuetudine aliqua non scripta, *quæ sine dubio à Traditione manavit.* E contra vero Catholicus ait, in *Traditionis obtentu exigenda est auctoritas scripta*; arguitque gestationem Coronæ sibi licere, quia id in Scriptura vetitum non sit. His opponit Tertullianus multa *solius Traditionis titulo, sine ullius scripturæ instrumento vindicari.* Ita ille ex doctrina & principiis Montani: longè aliter disputans dum esset Catholicus, ut patet ex lib. contra Hermogenem, c. 22. ubi ait, *Adoro scripturæ plenitudinem &c. Scriptum esse doceat Hermogenis officina. Si non est scriptum, timeat væ illud adjicientibus vel detrahentibus destinatum.* Ubi virtute argumentum continetur à genere distributo ad speciem affirmativè. Omne additum scripturæ meretur Væ. Ergo Hermogenianum additum illud meretur. In quo Enthymemate Tertullianus supponit antecedens, saltem Catholicis notum esse.

V. Author tractatus de Cardinalibus ope-

ribus [a] (quem Pamelius putat esse Cyprianum vel alium æque vetustum, ac qui eandem auctoritatem meretur) vocat Scripturam eam *ex qua omnium doctrinarum Regula emanarunt, & hic nascuntur, & huc revertuntur, quacunque Ecclesiastica continet disciplina.*

VI. Auctor etiam expositionis symboli apud Cyprianum, qui existimatur à Pamelio esse Ruffinus, de libris Canonicis ita ait. [b] *Ex eis Patres fidei nostræ assertiones constare voluerunt*, libros vero non Canonicos *sed Ecclesiasticos legi quidem in Ecclesia voluerunt, non tamen proferri ad auctoritatem ex his fidei confirmandam.* At Bellarm. [c] traditiones non scriptas, ait, *scribi non in divinis literis, sed in libris Ecclesiasticis* Igitur non habent robur infallibile verbi Dei.

VII. S. *Augustinus* lib. de utilitate credendi contra Manichæos, ponit in Scripturis veritatem talem *ut nemo inde haurire non possit, quod sibi satis est*; at vero in Ecclesia ponit *auctoritatem à Deo constitutam, qua velut gradu incerto innitentes attollamur in Deum, ut sapientes esse possimus*, id est, inhærere veritati: aitque *auctoritatem miraculorum positam esse ad commovendum stultos, ut ad sapientiam festinent.* Et postea explicans

[a] *Arnoldus Bonevallensis. de baptism. Christi.* [b] *In Art. credo unam S. Eccl.* [c] *l. 4. c. 1. de verbo Dei.*

speci-

ſpecialius in quibus auctoritas Eccleſiæ conſiſtat, recenſet ſucceſſiones Epiſcoporum, plebis judicium, conciliorum gravitatem, miraculorum majeſtatem. Et de iis cap. 4. contra epiſt. fundamenti, ait eſſe *vincula* quæ *hominem rectè credentem tenent in Eccleſia Catholica, etiamſi proper intelligentiæ tarditatem, vel vitæ meritum, veritas nondum ſe apertiſſimè oſtendat.* Ex quibus patet in ſolis Scripturis infallibilitatem verbi Dei, ex mente S. Auguſtini reperiri, licet in Judiciis & Conciliis Eccleſiaſticis culmen auctoritatis conſiſtat.

VIII. Idem *Auguſtinus* lib. 1. de Baptiſmo, cap. penultimo, ait, Cyprianum, excepto errore Anabaptiſmi, quoad reliqua id tenuiſſe, *quod & præterita Eccleſiæ conſuetudo, & poſtea totus Catholicus orbis complexus eſt.* Ergo opinio Cypriani de Scripturarum ἀυτάρκεια non error eſt, ſed orbis judicium. Et lib. 2. c. 1. *Cyprianus tenent regulam rectam veritatis eſſe ſcripturam, peccavit contra eam.* Et cap. 3. Aug. proponit Donatiſtis Cyprianum imitandum, ut ſicut Cyprianus voluit omnes Synodos & conſuetudines Scripturis cedere: ita Donatiſtæ præponant definitionem Scripturarum, ſynodo Cypriani fundanti ſe in humana traditione extra ſcripturas, concluditque; *Quis neſciat*

sanctam scripturam Canonicam tam veteris quam novi Testamenti certis suis terminis contineri, eamque omnibus posteritatibus Episcoporum literis ita præponi, ut de illa omnino dubitari & disceptari non possit, utrum verum vel verum veritum sit, quicquid in ea scriptum esse constiterit. Episcoporum autem literas quæ post confirmatum Canonem vel scriptæ sunt, vel scribuntur, & per sermonem forte sapientiorem cujuslibet in eo re peritioris, & per ullorum Episcoporum prudentiorum auctoritatem, doctioremque prudentiam, & per Concilia licere reprehendi, si quid in eis forte a veritate deviatum est. Ipsa Concilia quæ per singulas regiones vel Provincias fiunt, plenariorum Conciliorum auctoritati, quæ fiunt ex universo Orbe Christiano sine ullis ambagibus cedere, ipsaque plenaria sæpe priora posterioribus emendari, cum aliquo experimento rerum aperitur quod clausum erat, & cognoscitur quod latebat, sine ullo typho sacrilegæ superbiæ, sine ulla infusæ cervicis arrogantia, sine ulla contentiosa livide invidiæ, cum sancta humilitate, cum pace Catholica, cum Caritate Christiana. In quibus verbis fit mentio de negotio speculativo & dogmatico, quale erat assertio Anabaptismi, in eoque *Augustinus* docet, quascunque synodos posse corrigi ex sacris literis, ac per consequens nihil extra verbum

Dei,

Dei esse infallibile. Et hanc sententiam Augustini esse certam, indicant illa ejus verba, *Quis nescit &c.* Et cap. 8. lib. 2. citati, Augustinus vocat *consuetudinem* non rebaptizandi *veracem, sed nondum assertam*, scil. ex Scripturis. Et Cypriani *rationes*, ait esse *non veras*, sed tantum *non victas* ex sacris literis nimirum. Ex quibus constat traditionem debere *ex scriptura instrumento vindicari*, ut Catholicus asseruit apud *Tertullianum*, in libro de Corona Militis.

IX. Quin & libro 4. de Baptismo, c. 5. Augustinus recitat Cypriani assertum, & de eo censuram profert; facit enim Cyprianum sic dicentem, *Frustra qui ratione vincuntur consuetudinem nobis objiciunt, quasi consuetudo major sit veritate.* Censura Augustiniana hujus dicti est, *Hoc plane verum est.* Et lib. 3. contra Donatistas c. 26. Augustinus loquens de Cypriano, sic ait; *Quod autem nos admonet, ut ad fontem recurramus, id est ad Apostolicam traditionem* (scripturas nempe) *& inde Canalem in nostra tempora dirigamus, optimum est, & sine dubitatione faciendum.* At quod *verum, optimum, & sine dubitatione faciendum*; quomodo errantium more factum asseritur à Bellarmino?

Augustinus Tom. 9. lib. de pastoribus. c. 11. *Quicquid est extra Auctores divina-*

rum scripturarum respuitur, & capi 13. *Auferantur chartæ humanæ, sonent voces divinæ.* Lib. 1. de Symbolo ait, *Regulam fidei esse verba per scripturas sparsa.* Lib. de Natura & Gratia c. 61. profitetur se *in quorumlibet hominum scriptis liberum, quia solis Canonicis debet sine ulla recusatione consensum.* Et lib. 3. contra literas Petiliani c. 6. *Sive de Christo, sive de ejus Ecclesia, sive de quacunque alia re quæ pertinet ad fidem vitamque nostram, non dicam si nos, nequaquam comparandi ei qui dixit, si nos; sed omnino quod Paulus adjecit, si Angelus de cœlo vobis annunciaverit præterquam quod in scripturis Legalibus & Evangelicis accepistis, Anathema sit.* Et Lib. 2. contra Cres. c. 31. Literas Cypriani non ut *Canonicas* habet, sed ex Canonicis considerat. Et lib. 11. contra Faust. c. 5. *Non credendi necessitas, sed judicandi libertas versatur in lectione eorum quæ sunt extra Canonem.* Et in actis cum Felice. lib. 1. cap. 14. Manichæus dicit *non posse omnem veritatem ostendi per Apostolos.* E contra Augustinus asserit: *Ostendam secundum scripturas quod pertinet ad fidem Christianam.*

X. S. *Athanasius* lib. περὶ τῆς σαρκώσεως, Discipulos Evangelii jubet στοιχεῖσθαι τοῖς γεγραμμένοις aitque Christianos esse non posse, οἱ μήτε τοῖς γεγραμμένοις πειθόμενοι, μήτε τοῖς γενομένοις

μένοις στοιχοῦντες; aitque esse ἀπόνοιαν τῆς ἀμετρίας λαλεῖν τὰ μὴ γεγραμμένα, *Vecordiam magnæ immodestiæ loqui non scripta.* Et Tom. 2. 39. Epist. ἑορταστιχῇ loquens de libris Canonicis; ait, ἐν τούτοις μόνοις τὸ τῆς εὐσεβείας διδασκαλεῖον ἐναγγελίζεται. μηδεὶς τούτοις ἐπιβάλλεται μηδὲ τούτων ἀφαιρείσθω τι. Et in tractatu περὶ σαρκώσεως. ait quod αὐτάρκης ἡ εὐαγγελικὴ παράδοσις. & oratione contra gentes, αὐτάρκεις εἰσὶν ἁγίαι καὶ θεόπνευστοι γραφαὶ πρὸς τὴν τῆς ἀληθείας ἀπαγγελίαν. Et lib. 1. De unita deitate Trinitatis, & in synopsi sacræ Scripturæ, & quæst. 49. ad Antiochum ὅσπερ ἡ θεία γραφὴ ἑκουσίως ἀπέκρυψεν, οὐδεὶς κατ' ἀκρίβειαν εἰπεῖν ἴσχυσεν. *Quod Divina scriptura abscondit, nemo exacte docere potest.* Idem asseritur disputatione contra Arrium de Nicæno Concilio.

XI. S. *Basilius* Mag. Hom. 39. p. 623. de libris Canonicis ait τοῖς γεγραμμένοις πίστευε, τὰ μὴ γεγραμμένα μὴ ζήτει. Et proœmio in Ethica ait, infidelitatis & superbiæ argumentum certissimum, si quis ea quæ non scripta sunt introducit. Et lib. περὶ πίστεως p. 251. φανερὰ ἔκπτωσις πίστεως, καὶ ὑπερηφανίας κατηγορία, ἢ ἀθετεῖν τι τῶν γεγραμμένων, ἢ ἐπεισάγειν τῶν μὴ γεγραμμένων. Et in cap. 27. lib. de sp. sancto. Non scripta debere approbari, quatenus scripturæ concordant.

videa-

Videatur Regula Moralis 8. 26. & 28. & Epistola. 80. alias 8. Ubi docet Scripturas continere omnia necessaria ad salutem.

XII. S. *Gregorius Nyssenus Basilli* frater, in eo quod spiritus solus sit Deus, sive ad Eustathium de sanct. Trinitate pag. 8. in Tom. 3. operum edit. Parisiens. ἡ θεόπνευστος ἡμῖν, διαιτησάτω γραφὴ, ibique aperte negat consuetudinem esse infallibilem judicem rerum controversarum. Et in disputatione cum sorore sua Macrina de anima & resurrectione, ait, quod Christiani, regula prorsus divinæ doctrinæ, & lege utuntur sacra Scriptura, atque ad hanc necessario respiciunt; hoc solum respiciunt & approbant, quodcunque cum scripturæ conveniat & concordaverit intentione. Et in Vita S. Gregorii Thaumaturgi, vocat ipsum μαθητὴν τοῦ εὐαγγελίου *discipulum Evangelii.* Et oratione de dormientibus, Consuetudinem facit viam, progressionem, seriem, continuationem ad perfectionem, nec semper spectandam; sed ad id quod honestum est traduci debemus: sicut non debemus semper vivere ut Embrio, aut ad mammam permanere. Sed ad perfectiorum studia transire: nisi, quod Embriis accidit, velimus semper in innatu-

rali

rali iucunditate, quam habemus in utero matris vivere. Traditionem hic facit cum Augustino viam ad veritatem.

Greg. Naz. Orat. 37. seu. de Theologia. lib. 5. Nihil audet de spiritu sancto dicere, nisi quod possit ex sacris literis proferri.

XII. S. *Cyrillus* Hierosol. his consentit in Catechesibus, quas licet Perkinsius in præparat ad demonstrat. problematis pag. 40. Edit. Hannov. 1604. inter dubia opera Cyrilli recenseat, & Johanni Hierosol. tribuendas opinetur; Veritas tamen est, esse genuinas Cyrilli, easque ut tales memorat Theodoret. dialog. 2. qui inscribitur ἀσύγχυτος, ubi citat nonnulla ex Catechesi 4. sect. de generatione & virgine. Joan. item Damascenus orat. 3. de imaginibus, ubi citat quædam ex Catechesi 12. Johannes item. Cyparissiotus decad. 6. c. 4. citat Catechesin 10. Cyrillus ergo Catechesi 4. sect. de Spiritu sancto. δεῖ περὶ τῶν θείων καὶ ἁγίων τῆς πίστεως μυστηρίων, μηδὲ τὸ τυχὸν ἄνευ τῶν θείων παραδίδοσθαι γραφῶν· μηδὲ ἁπλῶς πιθανότητι καὶ λόγων κατασκευαῖς παραφέρεσθαι· μηδὲ ἐμοῖ τῷ ταῦτα σοι λέγοντι ἁπλῶς πιστεύσης, ἐὰν τὴν ἀπόδειξιν τῶν καταγγελλομένων ἀπὸ τῶν θείων μὴ λάβῃς γραφῶν· ἡ σωτηρία γὰρ αὕτη τῆς πίστεως ἡμῶν, οὐκ ἐξ εὑρεσιλογίας, ἀλλὰ ἐξ ἀποδείξεως τῶν θείων ἐστὶ γραφῶν. Et Catechesi 5. ubi ait,

πίστιν ὑπὸ τῆς ἐκκλησίας παραδιδομένην, τὴν ἐκ πάσης γραφῆς ὀχυρωμένην. Et statim subdit; *præter Scripturarum doctrinam aliam non sapere decet, etsi angelus è cœlo aliud evangelizaret.* Ibidem, contenta in Scripturis vocat *traditiones.* Et Catechesi 11. Cur πολυπραγμονεῖς, id est, curiosè inquiris ea, quæ nec Spiritus Sanctus locutus est in Scripturis? qui ea quæ scripta sunt non nosti, in his quæ scripta non sunt es inquisitor curiosus? quid de eo quod Scriptum non est curiosi sumus? Catechesi 16. εἰ δέ τι μὴ γέγραπται, μὴ πολυπραγμονῶμεν λεγέσθω δὲ ὅσα ἔνεστιν. ὅσα γὰρ οὐκ εἴρηκεν, ἡμεῖς μὴ τολμῶμεν. Catechesi 17. ait, se velle commemorare ea tantum quæ sunt in sacris scripturis, hoc enim esse tutissimum. Catechesi 12. μάθης ἐκ τῶν θείων γραφῶν; μὴ παραδέξῃ παρὰ ἀνθρώπου μαρτυρίαν.

XIV. S. *Hilarius* Pictaviensis in lib. contra Constantium Augustum docet, Hæreticos *docere potius fidem temporum, quam Evangeliorum.* lib. 10. de Trinitat. vocat Scripturas, *religionis portum, in quem se semper fides illæsa revocet.* & in Ps. 118. ait, *Scripturarum legem non excedamus.* lib. 4. de Trinit. *cessent propriæ hominum opiniones: neque ultra Scripturarum divinam constitutionem humana judicia se extendant.*

XV. S. *Am-*

XV. S. *Ambrosius* Epistola 72. vocat perfectum, *suscipientem fidem utriusque Testamenti.* Et Epist. 76. *plena mensura est in Evangelio, semi plena in lege, cujus plenitudo novum est Testamentum.* Serm. 14. in Psalm. 118. ait quod *Scripturarum pascuis grex Domini saginatur.* Saginatus scripturis quid requiris cupedias traditionum? In cap. 9. ad Rom. *quod in fide est in lege habetur scripta.* In lib. 2. de Abraham. cap. 9. *in quatuor libris plenum Evangelium atque perfectum est.*

XVI. S. *Hieronymus* in cap. 1. ad Tit. negat *sine authoritate scripturarum fidem haberi*: & in 23. Matth. loquens de interfectione Zachariæ patris Johannis Baptistæ ait, *quia de scripturis authoritatem non habet, eadem facilitate contemnitur qua probatur.* Si hæc causalis est bona, debet valere in quavis alia materia, ut Logici docent ex Arist. 2. prior. ubi sermo fit de paradigmate. Et cap. 1. Aggæi. ait, *quæ absque authoritate Scripturarum quasi traditione Apostolica sponte reperiunt atque confingunt, percutit gladius Dei.*

XVII. S. *Chrysostomus* Hom. in Psal. 95. Tom. 1. Edit. Parisiens. ἐάν τι γὰρ ἄγραφον λέγηται ἡ διάνοια τῶν ἀκροατῶν σκάζει; Hom. 9. in Genes. μὴ πιστεύειν τοῖς ἐν τῇ θείᾳ γραφῇ κειμένοις ἀλλ' ἕτερα ἐπεισάγειν ἐξ οἰκείας διανοίας, πολὺν ἡγοῦμαι κίνδυνον φέρειν τοῖς τοῦτο ποιεῖν τολμῶσι. Et

com. in cap. 1. ad Galat. per Evangelium intelligit quatuor Evangelia scripta, & ait damnari non modo ἐναντία contraria enunciantes, ἀλλὰ κὰν ὅσον μικρὸν συναληθίζοντας πρὸς ὁ εὐαγγελίζεται. Porro si parum præter Evangelium Evangelizaverint, κὰν τὸ ἰσχνὸν ἀποκρύπτειν ἀναδημα ἐστὶ Hom. 36. in cap. 5. Johannis, vocat Scripturas πνευματικῶν φαρμάκων θησαυρὸν, & Hom. 29. in caput 9. Genes. Si id accidisset Scriptura non conticuisset, sed significasset nobis: unus enim scopus, & terminus divinæ scripturæ est, τὸ μηδὲν παραλείπειν ὧν γεγράπται, ἀλλὰ μετ' ἀκριβείας ἡμᾶς διδάσκειν. Serm. de spiritu sancto & adorando spiritu. Ἐάν τις ὢν ἀνομαζόντων ἄχρι πνεῦμα λέγῃ πρὸς ἑαυτὸν κὰν μὴ ἀπὸ τῆς ἀναγκαίου, μὴ πεπίστευκε. Et ibid. ἐγὼ καθ' ἑμαυτὸν ὁ λαλῶν οὐκ ἐκείνου. τὸ γὰρ ἀφ' ἑαυτῶν λαλεῖν, τὸ ἔξωθεν λαλεῖν ἐστίν.

XVIII. *Theophilus Alexandrinus* Epist. 2. Paschali, ait. *Diaboli spiritus aliquod extra authoritatem sacrarum Scripturarum putare divinum.* id est, nihil extra sacra litteras est Divinum.

Cyrillus Alexandrinus, Glaph. in Gen. l. 2. ὁ ἐκ εἰρηκεν ἡ θεία γραφὴ πίστιν ὃ πρέπον προσδεξόμεθα, κὰν ἐν τοῖς ἀληθῶς ἔχουσι καταλογάδην. Lib. 7. contra Julian: Ἀποχρῆν μὲν ὅπως ἡ θεόπνευστος γραφὴ, κὰν αὐτὸς γε τὸ δεῖν ἀποφαίνειν σοφὸς καὶ δεινοπάτης, κὰν διαπεπαίδευμένον ἔχοντας συμπε-

ση.

σιν τὰς ἐντεθραμμένας αὐτῇ. Glaph. in Genes. l. 4. ζωαρκὸς ἔδεσμα ψυχῆς, ὁ τοῦ θεοῦ λόγος.

XIX. Sanctus *Leo* Epist. 24. ad Flavian. *In insipientiam cadunt qui non ad propheticas voces, non ad Apostolicas literas, nec ad Evangelicas authoritates, sed ad semetipsos recurrunt. Sed ideo magistri erroris existunt, quia veritatis non fuere.* Et Epist. 27. *Confessionem symboli* ait esse *perfectam, adeo ut omnes hæreticorum opiniones solo ipsius possint gladio detruncari.* Epist. 78. *Regulam fidei ex Evangelio ab Apostolorum fonte prodire* ait. Et hom. de Transfig. loquens de scriptura. *Confirmetur secundum prædicationem Evangelii omnium fides.*

S. *Epiphanius* hæresi 66. Scythianum Manichæum errasse dicit, quod voces quasdam ex sese οὐκ ἀπὸ τῆς θείας γραφῆς εὑράμενος, καὶ πνεύματος ἁγίου φθεγῆς. & hær. 55. Ἀεὶ φυλάττεται, ἡ θεία γραφὴ ὑπόγραμμος ἡμεῖν γίνεσθαι, Et alibi, πανταχόθεν τὸν νόμον συνάγει ἐπὶ τὴν μεσὴν τῆς ἀληθείας ὁδὸν, hæc veritatem σαφῶς demonstrat. Et, scriptura ad vitandam hæreticam fraudem de qualibet dictione securos nos reddit.

XX. *Philo Carpathius* com. in Cant. 5. *Nihil felicissimi consilii, nihil salutaris præcepti desiderare possumus, quin nobis è Scripturis sanctis abunde suppeditetur.*

Andreas Cæsariensis in Apocal. c. 2. & alibi

alibi totam veritatem ponit in duobus Testamentis, quibus nihil addendum vult. *Duo testamenta per quæ fideles tanquam per duo dominici uberæ nutriuntur.*

Idem *Hilarius Africanus* de partibus divinæ legis. lib. 2. c. 27. *Doctrina peragitur, aut intelligentia rerum factarum: aut ex divinis scripturis.*

Salomon in parabolas Solomonis ait, *Cisternam Catholicam esse veteris & novi Testamenti doctrinam*, nec aliam aquam bibendam quam eam quæ provenit ex Cisterna Catholica, juxta id *Proverb.* 5. *bibe aquam de Cisterna tua. His verbis docemur attendere lectionibus sacrarum scripturarum.*

Vincentius Lirinensis in commonitorio pr. cap. 2. *Canon Scripturarum est perfectus, sibique ad omnia satis superque sufficit.*

Salvianus lib. de Gubernat. l. 3. *Omnia per quæ credimus*, id est, *per quæ Christiani sumus sunt*, 1. *Lex, deinde Propheta*, 3. *Evangelium* 4. *Apostolicæ lectiones, postremo Baptismi gratia.* Et postea, *Evangelicorum voluminum plena est omni perfectionis genere doctrina.* & lib. 4. *dum legem deseris salutem propriam derelinquis.*

Julianus Toletanus contra Judæos lib. 1. ait, *esse stulta quæ de legis non procedunt arcano; imbelles & inermes sunt qui non de scripturis arma accipiant.*

XXI. *Clau-*

XXI. *Claudius Aliamenti* lib. 2. de ſtatu animæ. *Eatenus divinarum tractatoribus ſcripturarum fidem adhiberi par eſt, quoad uſque eiſdem tenore veritatis adſtipulentur ſcriptura.* Et in carmine ait, *omnia dicta vel acta Dei, per ſancta volumina diſci.*

Proclus Epiſtola cont. Armenos de recta fide, citatus 5. ſynodo collat 6. *fides manet inter Evangelicos atque Apoſtolicos terminos.*

S. *Greg. Mag.* lib 4. Epiſtolarum cap. 84. *Diſce cor Dei ex verbis Dei*, loquens de Scripturis.

Paſchaſius Diaconus S. R. E. in præfatione in lib. 1. de ſpiritu ſancto ait, *fidem Catholicam per ſanctas paginas diffuſam*: & cap. 1. *De ſacris omnimodo voluminibus quæ ſunt credenda ſumamus.*

Proſper contra Collatorem ait, *Canonem ſcripturarum eſſe perfectum.*

S. *Juſtus Orgelitanus* in Cant. ſect. 77. *Doctrina ſanctorum non à ſe, ſed à Chriſto ædificata eſt, cum ſanctarum ſcripturarum teſtimoniis. In ſancta ſcriptura omnis armatura fortium reperitur, ex qua vel contra Diabolum, vel contra miniſtros ſuos fortiter pugnatur.*

Antiquus Anonymus lib. 6. in Cantica. *Quicquid Doctor & nutritor animarum profiteatur, niſi de utroque Teſtamento docuerit Auditores, id eſt, veteris & novi, homicida animarum eſt.*

est. Quicquid vetus Testamentum futurum pronunciat, hoc est in novo Testamento perfectum.

XXII. S. *Cæsarius Arelatensis* Com. 26. *Sacerdotes duobus uberibus veteris & novi Testamenti debent pascere populum Christianum:* & hunc pastum vocat *cibum salutis & victum animæ necessarium.*

Isidorus Hispalensis lib. 2. de officiis Ecclesiasticis cap. 23. *Quod in utroque Testamento divina proteſtantur eloquia, hoc tantummodo sentiendum*, hæc certa regula est traditæ fidei, veraque integritas de quâ si unum quodlibet respuatur; tota fidei credulitas amittitur. Nota hinc, *Credo* in symbolo innuere ut credantur tantummodo scripta. Et com. in cap. 30. Exodi, *in duobus Testamentis tota lex pendet.*

Adelmus Episcopus Anglo-saxo lib. de laudibus virginitatis dicit, *utrumque Testamentum Ecclesiam casto verbi semine fecundare.*

Antiochus Laura Abbas in prologo operis quod extat Tom. 2. Biblioth. SS. Pat. loquens de Doctoribus Ecclesiæ ait. *Eorum mundiciam in eo consistere, quod quærant cælestes sententias. Nam sermones justorum mundi sunt juxta Scripturam.* & Hom. 1. ait, *Scripturas esse locupletissimum pennum fidei, ex quibus astruimus fidem.* Proinde Necessarium est inde divinæ Scripturæ usum & Testimonium depromere.

XXIII. *An-*

XXIII. *Anastasius Nicanus* quæst. 52. ait *Examinare se ea quæ dicuntur à Doctoribus & ea admittere quæ consonant sacris scripturis, quæ sunt autem aliena rejicere.* Et Quæst. 79. *quid tibi deest in lege Dei?* loquitur autem de scripturis. *Habes Dei legem, ab omnibus ergo alienis ac Diabolicis fortiter abstine.*

Carol Mag. in Capitularibus (seu potius populus & clerus Gallicanus natioque Gallicana quæ capitula illa firmiter tenent pro utili lege, ut ait Ansegisus Abbas. in præfat. ad capitula Caroli) lib. 1. cap. 82. de Prædicatione Episc. & Presbyt. Præcipit pastoribus ut non sinant nova vel non Canonica prædicari populo. *Nemo ex suo sensu & non secundum scripturas fingat aut prædicet.*

Ordo Romanus in interrogatione, Episcopi de rebus regimini ejus necessariis, peti jubet, *an omnem prudentiam suam divinæ scripturæ sensibus accommodare voluerit.* Respondet, *Ita.*

Alcuinus lib. de divinis offic. sect. de Baptismo. *Scriptura sancta vigorem cælestis sapientiæ continet. Ecclesia populi duplici Testamento saturantur.*

Beda lib. 5. in Cantica. *Ex eloquiis utriusque Testamenti sumant veri Doctores quod prædicent.* Et lib. 1. de Tabernac. cap. 5.

Duo testamenta prædicatione spiritualis scientiæ replent. Scriptura sacra spirituali ac divina scientia plena est. Imo habet omnem plenitudinem scientiæ eorum quæ in hac vita cognosci possunt. Ibid. c. 6. *Doctores sancti per omnia mentem suam necesse est in evangelica lectione fixam teneant, quatenus ad fidem sensumque illius omnem doctrinæ intentionem dirigant. Curentque sedulo ne quid credendum, sperandum, amandumve, in scripturis omnibus quam quod in quatuor Evangelii libris invenitur, doceant.* cap. 7. *Quæcunque prudens Doctor diversa pro diversitate audientium loquitur, universa in regula sacræ scripturæ reperiuntur.* & cap. 7. *ultra sacras literas nec scripturis ultra, nec interpretibus opus habemus.* Et lib. 2. de Tabernac. c. 6. ait. *Apostolos probasse ea quæ scriberent & prædicarent esse vera, ex verbis & literis legis & Prophetarum.* Et deinde, *Consensus Prophetica interpretationis in omnibus quæ Apostoli dixere monstratur. Omnis Apostolici & Evangelici sermonis in propheticis libris & initium reperitur & finis.* Synodo septima. Can. 2. οὐσία τῆς καθ' ἡμᾶς ἱεραρχίας ἐστὶ τὰ θεοπαράδοτα λόγια, ἤγουν ἡ τῶν θείων γραφῶν ἀληθινὴ ἐπιστήμη, καθὼς ὁ μέγας ἀπεφήνατο Διονύσιος.

Amalarius de Ecclesiasticis officiis lib. 2. cap. 5. *In Evangelio est declarata perfectio, fons omnis sapientia Evangelium; & prædicatoris*

toris ministerium est ex scripturæ libris Evangelicam veritatem approbare.

Walafridus lib. de exordiis & incrementis rer. Ecclesiast. cap. 22. *Ex Evangelio scripto recognoscitur salutis & fidei fundamentum.*

Rhabanus Maurus de Instit. Cleric. lib. 2. cap. 53. *Evangelium perfectum vitæ magisterium*, c. 57. *quod in utroque Testamento divina protestantur eloquia hoc tantummodo sentiendum*, Et lib. 3. c. 2. *Fundamentum status, & perfectio prudentia scientia est sanctarum scripturarum*, & lib. 3. cap. 3. *Scriptura divina longe lateque diffusa est, ut innotesceret gentibus ad salutem, quam legentes nil appetunt aliud.* Et c. 4. *In his quæ aperte in Scripturis posita sunt inveniuntur illa omnia quæ continent fidem, mores, spem atque charitatem.*

XXIV. *Jonas Aurelianensis* lib. 1. de cultu imaginum ait, *invictissima arma & munimen contra errores haberi ex perfecta intelligentia scripturarum.* Et distinguit Ecclesiasticas traditiones à regula fidei.

Hincmarus in opusculis idem dicit, nec non *Angelomius* in Cantica, Ecclesiaque *Lugdunensis* in scripto contra *Johannem Scotum*; ubi concedit Ecclesia illa, *Scripturæ immobilem veritatem, patrum fundatissimam authoritatem*, & in lib. de tenenda veritate scripturarum docet, *quod habemus magnum depo-*

situm fidei & veritatis in divinis scripturis. Et c. 4. *Quicquid dicendum putavimus non nostro sensu, sed manifestissimis scripturarum testimoniis, & sanctorum patrum venerabili authoritate firmamus.*

Theophylactus in c. 1. ad *Galatas*, εὐαγγέλια τὰ τέσσαρα ἓν εἶναι λέγομεν, κατάγε τὴν συμφωνίαν, ὅστις διὰ φιλοδοξίαν τὰ οἰκεῖα συγκροτεῖ δόγματα καὶ ἑαυτὸν ἀναθεμάτιζει. In 2. *Tim.* 3. οὐδὲν ἔστιν ὃ μὴ διὰ τῆς θείας γραφῆς δύναται λυθῆναι.

Oecumenius in cap. 1. Act. *Ait Evangelistarum scripta amplecti Christi doctrinam*, τῶν συνεχόντων καὶ κατεπειγόντων μηδὲν παραλιπεῖν, ἐξ ὧν τοῦ κηρύγματος θειότης καὶ ἀλήθεια καταλαμβάνεται.

Petrus Damianus in lib. Dominus vobiscum. *Scripturis nihil subtrahitur nihil augetur, sed prorsus in his Ecclesiastica consuetudo servatur.*

Anselmus in 2. ad *Tim.* c. 3. *S. literæ possunt te sufficienter doctum reddere ad æternam salutem consequendam tibi & aliis.*

XXV. *Hildebertus Cænomanensis* Epist. 64. *Credendum putarem si vel Evangelium, vel plena fidei reliquisset authoritas.* Ubi loquitur de Scripturis.

Rupertus Abbas. lib. 4. Com. in Apocal. ait, *Scripturas in se continere omnem mysteriorum*

rum Christi plenitudinem. Et com. in lib. 3. *Reg.* cap. 12. *Quicquid est de verbo Dei, quicquid scire vel prædicari oportet de Incarnatione, de vera divinitate & humanitate filii Dei duobus ita continetur Testamentis, ut extra hæc nihil sit quod annunciari debeat aut credi, totum in his comprehenditur cæleste oraculum, quod tam firmiter scire debemus, ut extra hæc audire nec hominem liceat nec Angelum.*

Ecclesia *Armenorum* in Colloquio Theoriani & Catholici Tom. 4. Biblioth. SS. patrum, affirmat *nihil ab ipsis dici extra Scripturas sacras.*

XXVI. *Hugo* à Sancto Victore in *Genes.* cap. 6. ait, *in Scripturis plenam & perfectam veritatem consistere.*

Ricardus à Sancto Victore lib. 2. in Apocal. part. 2. c. 3. *In S. Scriptura universalis scientia quæ ad salutem proficit continetur.* Et in c. 2. *In sacro Eloquio salus humanæ scripta continetur.* Et c. 3. *Contra omnem errorem eloquia divina sunt inspicienda; & quæ suggeruntur vel audiuntur, his conferenda ut recipiantur vel confutentur.*

Abbas Joachimus in Apocal. *Voluntas Dei est in agnoscenda litera utriusque Testamenti, nihil præter id quod scriptum est relationibus aliorum aut opinione præsumere.*

Grat. 1. parte decreti 1. dist. 9. sect. *Ego* ait,

ait, ſe *de ſolis Canonicis Scripturis auderem credere nullum ſcribendo erraſſe.*

Gloſſa Johannis. Aliis Scriptoribus non eſt credendum, etſi ſancti ſint, niſi quod ſcripſerint probaverint per canonicas authoritates.

Durandus vel *Durantus* lib. 4. offic. divin. c. 24. num. 21. *Fides in Evangelio continetur.* Num. 24. *Omnia ſunt in Evangelio manifeſta*: loquitur autem de ſcriptura. Num. 25. *Omnia ſoluta ſunt in Evangelio.*

Aureolus Cardinalis in penultima Quæſt. 3. ſent. *Lex divina conſiſtit in iis quæ continentur in ſacrâ pagina.* Et in compendio ſcripturarum, in initio: *Eloquium Dei cunctorum quæſtionibus ſatisfacit. Quicquid poteſt evenire, ſingulis in ſacris Scripturis convenienter comprehenditur.*

XXVII. *Thomas Bradwardinus* lib. 2. de cauſa Dei. cap. 1. parte. 32. *Coroll.* ſic ait. *Confidenter me affirmo ſcire quod non eſt articulus aliquis parvus vel magnus de ſubſtantia fidei Chriſtiana, quam Deus non prius revelavit: ſicut evidenter oſtendunt libri authentici novi & veteris Teſtamenti: Non eſt articulus fidei, qui etiam Philoſopho judice non corrupto, non ſophiſtico, non proterve, ſed indifferenter ſolido, & veritatis amico efficaciter non poteſt fundari in veteri Teſtamento: qui Evangelica conſcripſerunt, novum Teſtamentum in veteri fundarunt.*

S. Tho-

S. *Thomas Aquinas* 22. q. 1. a. 9. Admittit hanc propositionem: *sacra scriptura est regula fidei, cui nec addere nec subtrahere licet.* Aitque *symbolum non esse additum scriptura, sed ex eâ sumtum.* Et postea, *veritas fidei in sacra scriptura diffuse continetur.* Et ibid. Art. 10. ad 1. *In doctrina Christi & Apostolorum veritas fidei est sufficienter explicata.*

Occamus (ut testatur *Zomerus* in lib. 2. Epitomes dialogorum ejus) agnoscit esse opinionem inter Catholicos, quæ dicit, *illas solas esse veritates, quæ in Canone Bibliæ continentur, vel ex contentis in Canone necessario sequuntur,* aitque pro hac sententia expresse videri facere Augustinum, dist. 9. sect. ego solis.

XXVIII. *Wesselus* lux mundi dictus, de potestate Ecclesiastica, refundit fidelium credulitatem in Evangelium.

Astendorpius familiaris *Wesseli* narrare solitus erat (ut ait *Gerardus Geldenhaurius.* lib. 1. illustrium virorum *Wesselum* solis divinis literis firmiter adhæsisse. Et id patet ex tract. de potest. Ecclesiast. sect. de Scribis. *Prælatos* ait in *Cathedra Mosis sedentes audiendos, quam diu secundum Mosem dicunt.* Et si *quid extra vel contra, non magnopere ligant fideles contra legem perfectæ libertatis.* Et tract. de Purgatorio: *protestor me nihil velle asserre*

re nisi quantum sacris literis concordet.

Nicolaus Clemangis in disp. super materia concil. gener. aufert infallibilitatem à Conciliis generalibus, nisi sequantur Scripturas, & tract. de celebr. non instit. ait. *Dei voluntatem in sacris literis inquirendam.*

Petrus Cardin. Aliacensis in recommendat. Sacr. Script. *Fundamentum Ecclesiæ scriptura veritas. Domus Ecclesiæ Catholicæ singulas partes suas super scripturæ veritatem fundatas habet. Per divini eloquii arma defenditur civitas Dei contra civitatem Diaboli. Per hæc arma vincuntur erronei, corriguntur hæretici, feriuntur schismatici. Per hæc arma, hoc est per sacra scripturæ documenta, Ecclesia pugnando vincit, vincendo crescit, crescendo proficit, proficiendo complementum accipit.* Et in principio in cursu Bibliæ ait. *In hac sacrarum literarum doctrina super eminenter contineri quicquid in aliis utiliter invenitur.* Et in prim. sent. q. 1. a. 3. Non alia agnoscit principia Theologiæ quam sacri Canonis veritates, ex quibus primo, singulæ conclusiones Theologicæ deducuntur. Et in quæst. de resumpta. *Hoc dicitur sine allegatione Scripturæ: Ideo non insisto.* Et litera R. *probabiliter respondent aliqui quod Concilium generale potest contra fidem errare.* Ubi ergo infallibilitas traditionum? Et in 1. sent. in principio D. Lex Christi Testamentum

mentum novum. *Hæc lex est signum perfectissimum voluntatis divinæ.*

XXIX. *Thomas Valdensis* lib. 2. doctrinalis fidei art. 2. cap. 27. Ait *sequendam esse in Ecclesia Catholica gradatim authoritatem multiplicem; Doctorum sc. Catholicorum omnium, antistitum Sanctorum magis, Ecclesiarum Apostol. potius, & ex iis amplius Romanæ Ecclesiæ, & abundantius his omnibus authoritatem Concilii Generalis. Nec tamen alicui jam dicta ita obediendum censeo, & tam prona fide, sicut primæ fidei scripturæ, vel Ecclesiæ Christi symbolicæ (id est universali, de qua in symbolo fit mentio) sed sicut institutionibus seniorum & monitioni paternæ. Obediatur (dico) sine scrupulo quæstionum, cum omni modestia mentis & reverentia corporis, cum acceptatione & fiducia in verbis docentis, nisi quatenus aliquid doceat is qui docet, quod jam juste præscripsit superioris authoritas; Cui tamen tunc pius Ecclesiæ filius non perperam insilit, sed ab eo reverentiali quodam pudore percussus abscedit. Ibi enim requiritur ut sit fides copiosior ubi subest authoritas gravior. Augustinus hos gradus laudat, & docet* lib. 2. de Bapt. contra Donatist. *Quis* (inquiens) *nesciat sanctam scripturam Canonicam tam veteris quam novi Testamenti certis suis terminis contineri, eamque omnibus posteriorum Episcoporum literis ita præponi*

poni ut de illa omnino dubitari aut disceptari non poteſt, & reliqua prout retuli num. 8. *ubi ex omnibus liquet authoritas general. Concil. quia illi cedunt cuncta ſcripta Pontificum & Doctorum* &c. Hæc *Valdenſis* Tom. 1. fol. 221. & 222. Impreſs. Venetæ. 1571.

XXX. *Abbas Panormitanus* in cap. ſignificaſti, de Electione & electorum poteſtate docet, *Concilium Generale poſſe errare.* Et cum *Panormitano* plerique Juriſtæ ſentiunt. Ait *Almainus* in tractatu de poteſtate Eccleſiaſtica & laica c. 16. Qui ut probabilius ſolum defendit oppoſitum ſententiæ Panormitani & Juriſtarum.

Thomas etiam *Valdenſis* lib. 2. doct. fid. art. 2. c. 20. *Habent dicta ſanctorum authoritatem ſuam, ſed non Canonicam. Omne quod loquimur debemus affirmare ex ſcrip. ſanctis. Neceſſaria eſt adjectio teſtium ſanctorum & proborum poſt authoritatem Canonicam, non quod in authoritate æquantur, abſit, ſed ſequantur.*

XXXI. *Jo. Gerſon* tract. de art. fid. ſeu compendio Theologiæ, vocat *Symbolum omnium credendorum ad ſalutem ſpectantium, compendioſam collectionem per divinorum voluminum corpus diffuſum.* Et in lib. de examinat. doctrinæ part. 2. conſideratione 1. *Oſtendendum in examinatione doctrinarum primo & principaliter, ſi doctrina ſit conformis ſacræ ſcripturæ,*

tam in ſe quam in modi traditione. Nihil audendum dicere de divinis, niſi quæ nobis à ſcriptura ſacra tradita ſunt. Cujus ratio eſt quoniam ſcriptura nobis tradita eſt, tanquam regula ſufficiens & infallibilis pro regimine totius Eccleſiaſtici corporis & membrorum uſque in finem ſeculi. Cui ſe non conformans alia doctrina, vel abjicienda eſt ut hæreticalis; aut ſuſpecta, aut impertinens ad religionem prorſus habenda eſt. Hinc Gloſſa quædam ſuper illud, Apparuerunt Moſes & Elias loquentes cum eo. Suſpecta eſt omnis Revelatio quam non confirmant Lex & Prophetæ cum Evangelio: Quæ tria ſignificant Moſes Elias & Chriſtus. Alioquin deluſiones Dæmonum, aut potius proprii capitis fantaſiationes quam Revelationes habeantur. Talibus Idiotis objiciatur illud Chriſti: Erratis neſcientes ſcripturas, & ibid. conſid. 5. & de conſolatione Theologiæ lib. 4. Ait *Scripturas ſufficere, & ſufficienter erudire.* Idem docet ſerm. in die circumciſionis, conſid. prima ubi ait, *Scripturam ſufficere pro regimine Eccleſiæ: Alioquin Chriſtus eſſet legiſlator imperfectus.* Idem tract. de probat. Spirituum, *ad omnem revelationem non ſuſpectam requirit teſtimonia legis & Prophetarum.* Et prima conſid. part. 2. de exam. doctrinæ; *dicet aliquis doctrinas ſalubres tam verbis, quam ſcriptis inſertas eſſe quas ſcriptura ſacra*

non continet; Immo continet respondemus. Vid. tract. de distinct. verarum visionum à falsis. Item serm. omnium sanctorum, ait eos, qui deserunt scripturas & sequuntur traditiones humanas, idque licere affirmant; errare & in Pelagianam hæresin palam incidere. Serm. de verbis Domini *scriptura* sacra dicitur *omnis veritas.* Vid. consid. 14. de passionibus animæ. Item secunda part. de mendicitate spirit. a.

XXXII. *Jacobus Faber Stapulensis* Præfat. in S. Evangelia, *hoc firmissime teneant omnes, quod majores nostri, quod primæva illa Ecclesia sanguine Martyrum rubricata sanxit: extra Evangelium nihil scire id esse omnia scire.*

Johannes Episcopus *Roffensis* Art. 37. contra Lutherum, *Scriptura sacra continet quoddam est veritatum omnium, quæ Christianis scitu necessaria sunt.*

Erasmus de vera Theologia contendit, *Scripturam purissimum fontem Christianæ Philosophiæ cum lacunis traditionum non esse commiscendam: Ha sunt,* ait, *examinandæ an congruant cum Evangelica doctrina. Veteres legendi non cum necessitate credendi, sed cum libertate judicandi.* Queritur etiam *quod credulitas nostra symbolo Apostolico non fuit contenta.*

In eandem sententiam conspirant *Rhenanus*

nus in Tertullianum. *Cassander* de officio viri pii. *Wicel.* Method. Concord. c. 1. p. 5. *Budaeus* de rerum fortuitarum contemtu, ubi scripturam vocat *indicem finis bonorum & malorum.*

Espenseus lib. 1. digress. in primam Epistolam ad *Tim.* cap. 2. negat *libros extra Canonem proferri ad authoritatem fidei confirmandam.* Et in 2. Epist. ad *Tim.* cap. 3. sect. 17. ait, *posse aliquem ex scripturis perfectum esse, ut nihil ei desit. Perfectum autem vocat* (ut se exponit) *diligenter scientem qualiter unumquodque bonum sit, tum docendum, tum agendum.* Et cum multi clarissimi viri hodie in vivis existentes cum prædictis authoribus sentiant, & sensa ubi opus est proferunt ea de re, cassus labor erit quempiam nominare, & forsan opus erit ingratum; & ideo huic negotio supersedebimus.

Unus instar omnium hic à me memorandus erit, vir immortalitate dignus, *Ludo. Servinus* advocatus regius, in vindiciis libertatis Gallicanæ pag. 220. Impressionis primæ (nam postea liber editus est à *Goldasto* Tom. 3. Monarchiæ) *scripturarum auctoribus decertandum, nec verbo Dei quidpiam addi vel detrahi potest. Nobisque cavendum est, ne Judæorum Doctoribus similes simus, qui Dei præcepta propter suas traditiones*

tiones

tiones evacuant. Hæc scripturæ Regula credendorum vel non credendorum, agendorum vel non agendorum amussis est, & dum eam sequemur non errabimus.

XXXIII. Addi his potest ultimo loco ratio quam insinuat sanctus *Lucas* cap. 1. Actorum, Deum per scripturas consuluisse ἀσφάλειαν seu securitati Ecclesiæ, & fragilitati naturæ humanæ, quæ est desultoria ad novas opiniones, & eget scripturæ juvamine ad perpetuam rei memoriam, ut ex Recentioribus probe observarunt *Jansenius* in Concordia, *Ludovicus Vives* de caus. corrupt. artib. 11. *Gregorius Tholossanus* de Repub. lib. 12. cap. 5. *Ederus* in Oeconomia Bibliorum de script. q. 2. pag. 40. Impress. Colon. quod & ante eos observavit *Chrysostomus* in principio operis imperfecti. Rationes variæ ex scripturis petitæ pro scripturæ αὐθεντίᾳ & iis oppositarum ratiunculariam solutiones hic à me non commemorantur: de his enim extat fusior tractatus prodromus de traditionibus, à nobis brevi edendus, quem Lector consulere dignetur. Plura hic scripsi in sect. 1. quam brevitas nobis affectata permittit. Sed id necessarium fuit ad stabiliendum catholico consensu omnium seculorum privilegium S. scripturarum, cum ex eo pene omnes aliæ controversæ

quæ-

quæstiones pendeant, quæ sine solida cognitione hujus rei indecisæ manent.

SECTIO II.

De Conciliis, Papa, & Schismate.

OBtemperare & subesse oportet potestatibus à Deo pro regimine Ecclesiæ constitutis: quales sunt Concilia, Episcopi, Presbyteri: [a] Quibus omnibus obedientia canonibus præscripta præstanda est: Ita ut eorum sententiis canonice prolatis, refragari non liceat, nam damnationem sibi acquirit, qui legitimæ authoritati à Deo ordinatæ resistit. Rom. 13. Et sicut in Repub. rebellio esset magistratus politici jussioni obstrepere, eo quod ille erroribus obnoxius esset: [b] ita in Ecclesia haud vacat schismate temere se subducere à magistratu Ecclesiastico, prætextu erroris actualis aut possibilis, nondum clare in legitimo judicio probati. Esto igitur, solum Dei verbum scriptum necessario sit infallibile, & Episcopi Conciliaque errare possent, donec tamen eorum

error

error in judicio convincatur, ad vitandum ſchiſma debet eis obediri, non ſecus ac politico magiſtratui de errore non convicto, erranti etiam paretur. Inter Eccleſiaſtica autem tribunalia ſupremum eſt Conciliare: cui Papa & Epiſcopi omnes, quin & fideles omnes deferre in rebus ſpiritualibus tenentur. Imo ſi Papa pertinaciter reluctari vellet decreto fidei concilii œcumenici, præſumetur hæreticus; & ab eo tanquam hæretico, poſt Eccleſiæ declarationem præſertim juxta præſcriptum [c] & normam Canonum recedi poterit ſine ſchiſmatis nota, negando ei obedientiam, conſortium, & communionem.

Paralipomena ad Sect. 2.

Vide tract. noſtrum de ſuprematu Conciliorum, in quo ex ſcripturis & praxi perpetua Eccleſiæ, deduximus Papas Canonibus ſubjici. Diaconos Romanos ſe Presbyteris anteferentes contra Canonem Nicen. 18. Papa vidente & conſentiente, Hieronymus, epiſtola 85. ad Evagrium, vocat *vecordes. Quid*, ait, *mihi profers morem urbis conſuetudinem? quid paucitatem, de qua ortum eſt ſupercilium in leges Eccleſiæ, vindicas? Auguſtinus* in qq. veteris & Novi Teſtamenti quæſt. 101. contra Diaconos Romanos diſ-

ceptat

ceptat qui, contendunt, *Levitas Sacerdotibus, & Diaconos Presbyteris coaquare.* & ait, *quia Romana Ecclesia ministri sunt, idcirco honorabiliores putantur quam apud ceteras Ecclesias, propter magnificentiam urbis Romanæ.*

In secunda Synodo, *Flavianus* à Pontifice Romano excommunicatus, ut hist. tripart. lib. 10. cap. 10. indicat, restituitur invito Pontifice à 5. Synodo (ut patet ex epistola synodica apud *Theodoretum* cap. 9. lib. 5.) ex legis & decisionis Nicenæ præscripto, ut Canon postulat.

In 3. Synodo Generali non obstante epistola Innocentii ad Alexandrum (est 18. num. in edit. *Sixti* 5.) qua declarat *Cyprios* non sapere juxta fidem, nisi se subdant Antiocheno Patriarchæ, decretum est, Can. 8. hoc ab Antiocheno attentari præter Canones, ac propterea omnes literas ab eo allatas contra *Cyprios*, irritas esse decernit sancta & Universalis Synodus.

Ita in Canone 178. codicis universalis Ecclesiæ, & conc. 2. *Ephesini*, appen. 1. cap. 4. *Leonis* 1. Legati contradixerunt in Chalced. act. 16. τῷ θείῳ Constantinopolitani Patriarchæ, At secundum Canonem 150. S. Patrum in Constantinopoli congregatorum, repugnante *Leone* 1. definitum est synodice pro Constantinopolitano Patriarcha.

Hæc ex gestis 4. Conciliorum generali-

ralium quæ *Gregor.* Can. sicut dist. 16. sicut *sancti Evangelii 4. libros suscipit.* Immo, ut notat Cardinalis Deusdedit in sua Canonum collectione, vetus formula fuit jurisjurandi Pontificii, quæ extat Can. sanct. dist. 16. qua Papa jurat, *se quatuor Concilia servaturum usque ad unum apicem.* Ex quo scite infert eruditissimus *Leschasserius* in consultatione Veneta sic. *Non potest igitur Pontifex Romanus jure contendere se Canonibus illis Conciliorum superiorem esse, nisi sibi super quatuor Concilia totam arroget potestatem.*

Huic jurejurando Pontificio convenitus est antiqua confessio *Zosimi* Papæ, Can. contra statuta. 25. q. 1. *Contra statuta Patrum condere aliquid vel mutare, non hujus sedis potest authoritas.* Et *Urbanus* Papa ibidem Can. sunt quidam. *Ubi sancti Patres sententialiter aliquid definiverunt, ibi non novam legem Roman. Pontif. dare, sed potius quod prædicatum est, usque ad animam & sanguinem confirmare debet.* Speciatim *Ephesinum* Concilium Can. 8. statuit, *singulis provinciarum Ecclesiis sua jura servanda.* Hinc ortæ appellationes ab abusu, & exceptiones contra acanonicas jussiones novas.

Sic Episcopi *Galli* sub *Ludovico Pio* excipiunt his verbis conceptis, contra nova quædam jura, *satis se obtemperaturos ni aliter*

sa habeant antiquorum authoritates Canonum; & Papæ decretalibus Canones antiquos opponunt, aientes, *si venit Papa excommunicaturus, excommunicatus discedat, quia aliter sa habet antiquorum authoritas Canonum.* Et de natione *Gallica* probe notat *Loschassirius*, tractat. de Libertate Ecclesiæ, *fuisse in more positum Ecclesiæ Gallicanæ, profiteri se Pontifices Romanos non agnoscere, nisi legitime & canonice*; quæ restrictio Ecclesiæ universalis est, ut docte ibi probat.

Hinc Patres *Africani* in Synodo sub Bonifacio & *Cælestino*, cap. 105. recusant parere præceptis Pontificum, quia ut tale quid fiat nullum iuveniunt Patrum in synodo constitutum.

Et ut præteream *Hincmarum* apud *Baronium*, Tom. 10. ann. 878. num. 30. aientem *se recipere decreta Pontificum à suis conciliis approbata*; & *Gerbertum* (seu *Silvestrum* 2. postea dictum) eodem Tom. 10. ann. 992. num. 48. acceptantem decreta sedis Apostolicæ, cum hac clausula *modo ab his Canonibus non discordent.* Illustre extat testimonium sancti *Ignatii* Constantinopolitani, ac adeo totius Ecclesiæ Græcæ factum ejus approbantis, usque in hodiernum diem apud *Baronium*, Tom. 10. ann. 878. num. 48. Nam Papam eum excommunicantem, nisi intra triginta dies sa-

cerdotes suos è *Bulgaria* revocaret, surdis auribus pertransivit. Et *Baronius* non censet *Ignatium* excommunicatum ob jussionem illam non impletam, eo quod, *quæ juris essent suæ Ecclesiæ defendit, prout juramento teneretur obstrictus æternæ vitæ dispendio.* Plus ergo valet Canon jus concedens Ecclesiæ Constantinopolitanæ, quam jussio Papæ, etiam Judice *Baronio.*

Videantur ea quæ collegit perdocte D. *Vigorius* Comment. in resp. Synodalem. pag. 26. 48. 22.

Et quia *Hincmarus* constantissimus Canonum Defensor, acerbe taxatur à *Baronio*, *Duvallio*, & *neotericis* pluribus, monitum lectorem vellem, eum laudari à *Baronio*, Tom. 2. ad ann. 109. num. 42. pro viro eruditione & pietate clarissimo.

Videatur *Cassander* lib. de offic. pii viri. *Qui Pontificem Romanum tantum non Deum faciunt, ejusque authoritatem non modo supra totam Ecclesiam, sed supra ipsam Scripturam divinam efferunt, & sententiam ejus divinis oraculis parem, immo infallibilem fidei regulam constituunt, hos non video cur minus pseudocatholicos & Papistas appellare possis.*

[b] Subductionem à magistratu Ecclesiastico Romanæ Ecclesiæ, schismaticam merito reputari, confirmatur *Cassandri* & Archiepiscopi

copi *Spalatenſis* in Anglia adhuc ſcribentis teſtimoniis: quæ videri poſſunt ex meritis rei orta eſſe, potius quam ex cæco erga Romanam Eccleſiam affectu. *Caſſander* in tract. de officio pii viri, ſic ait: *plerique ex iis qui ſibi ab Evangelio nomen ſumſerunt, eam partem quæ vetus Catholicorum & Romana Eccleſia nomen retinet, prorſus aſperniantur, omnemque ejus communionem diffugiunt; nec ut membrum ejuſdem corporis amore & miſericordia proſequuntur; ſed ut Satanæ & Antichriſti corpus abominantur. Scio id equidem & doleo, & quæ ejuſmodi ſunt, quomodo à ſchiſmatis nota eximi poſſint non video.* Notatque *Lutherum* ipſum primo tantundem confeſſum eſſe: immo poſtea etiam à Bulla Pontificia ferociorem factum, non negaſſe Romanam Eccleſiam in qua Romanus Pontifex imperium tenet veram eſſe Chriſti Eccleſiam: quamvis ejus gubernatores, ut Papam, Cardinales &c. non eſſe Eccleſiæ membra, ſed tyrannos & hoſtes proclamet. Et certe ratio id ſuadet: nam eſto, Papa ſit Antichriſtus ille, qui in vero templo Dei, Eccleſiaque vera, docente Paulo, ſeſſurus eſt: eo tamen magis inhærendum eſt veræ Eccleſiæ, ut ex ea malus Paſtor ejiciatur. Nam diſceſſione à vera Eccleſia, non ex ea citius eliminatur. *Spalatenſis* Archiep. 3. part. de Repub. lib. 7. cap.

cap. 7. num. 17. Odium *Puritanorum* in Ecclesiam Romanam vocat *Diabolicum*. Et lib. 7. cap. 10. num. 188. Ait, *ab Ecclesiis velle abhorrere, discedere & se separare, quæ sub eo* (Papa) *gemunt, quam diu Christi integram fidem servant & retinent, est profecto schisma indignum & reprehensibile.*

[c] Nota, aliud esse recedere à Papæ communione, aliud à communione Ecclesiæ. Nam in casu declaratæ hæreseos, Canones suadent jubentque adhærere Ecclesiæ & ejus Canonibus, & separare se ab Episcopo quovis male docente. Legi in hunc finem poterunt Canones Ecclesiæ Universalis: Can. 3. *Ephesinus* Clericis jubet, Κοινῶς δὲ τοὺς τῇ ὀρθοδόξῳ καὶ οἰκουμενικῇ συνόδῳ συνφρονοῦντας κληρικοὺς κελεύομεν, τοῖς ἀποστατήσασιν ἢ ἀφισταμένοις Ἐπισκόποις, μηδ' ὅλως ὑποκεῖσθαι κατὰ μηδένα τρόπον. Et canone 1. Metropolitanus hæreticus adversus suæ provinciæ Episcopos nihil penitus agere potest. Et synodo Constantinopolitana δευτέρα πρώτῃ Canone 15. Οἱ διαίρεσίν τινα παρὰ τῶν ἁγίων συνόδων ἢ πατέρων κατεγνωσμένην, τὸν πρὸς τὸν πρόεδρον κοινωνίας ἑαυτοὺς διαστέλλοντες, ἐκείνου τὴν δηλονότι δημοσίᾳ κηρύττοντος, καὶ γυμνῇ τῇ κεφαλῇ ἐπ' ἐκκλησίας διδάσκοντος, ὁ τοιοῦτοι, οὐ μόνον τῇ κανονικῇ ἐπιτιμήσει οὐκ ὑποκείσονται, πρὸ συνοδικῆς διαγνώσεως ἑαυτοὺς τὸν πρὸς τὸν καλούμενον ἐπίσκοπον κοινωνίας ἀποτειχίζοντες, ἀλλὰ καὶ τὸν πρεπούσης τιμῆς ὀρθοδόξοις ἀξιω-

ἀξιωθήσονται· οὐ γὰρ ἐπισκόπων, ἀλλὰ ψευδεπισκόπων διδασκάλων κατέγνωσαν, καὶ οὐ σχίσματι τὴν ἕνωσιν τῆς ἐκκλησίας κατέτεμον, ἀλλὰ σχισμάτων καὶ μερισμῶν τὴν ἐκκλησίαν ἐσπούδασαν ῥύσασθαι. Canonem synodi Carthaginensis sub *Cypriano*, qui extat apud *Balsamonem*, & *Zonaram* vid. Conferendi sunt Canones 32. & 33. Concil. *Laodiceni*, cum Canonibus 32. & 33. qui hanc rem illustrant. Nec non can. 9. *Timothei Alexandrini*.

SECTIO

SECTIO III.

De *Insulæ magnæ Britanniæ* privilegiis.

DOlendum sane nonnullos scribentes, Reges M. *Britanniæ* esse Feodatarios sedis Apostolicæ, ac consequenter summo Pontif. ut (Monarchæ independenti á Canonibus) subditos tum in temporalibus tum in spiritualibus, eos nimis exasperasse; & tum à summi Pontificis obedientia, tum à Catholica Romana communione alienos reddidisse. Optandum hinc esset ut summus Pontifex publicæ paci & saluti regni Britannici aliquid concederet, & contentus esset, ut sereniſſimus Rex & regnum Magnæ *Britanniæ*, possit admitti ad communionem sanctæ Ecclesiæ Romanæ absque ulla actuali dependentia ab imperio summi Pontificis, donec in pleno & libero saltem concilio remedium huic malo parari possit.

Triplex autem assignabo fundamentum Theologicum, ex quo (salvo meliore judicio) liquet hoc concilium esse probabile, & praxi conveniens.

Primum

Primum eſt [a] Gravis metus quem prudentiores Politici rebus ſic in *Britannia* ſtantibus concipiunt, ex actuali ſubjectione ſedi Apoſtolicæ præſtanda. Et certe quis non timeret ei ſubdi, qui ſi diſpliceas ei, juxta recentiorum quorundam aſſerta, & regnum & vitam & famam unius horulæ ſpatio poterit auferre, ſubditoſque Catholicos contra te armare valet?

Secundum fundamentum eſt, quia adhærendo decretis Conſtantienſis & Baſilienſis Conciliorum, quæ declarant eos habendos pro hæreticis, qui defendunt Papam non ſubdi Conciliis Generalibus, videtur in [b] praxi modernos Papas habendos pro hæreticis: maxime cum hæreſin [c] à dictis ſynodis damnatum defendant pertinaciter, [d] per cenſuras Bullæ in cæna. Quæ dico non ad litem movendam ſuæ Sanctitati, ſed ad humiliter inſinuandum probabile fundamentum, tam illuſtris regni pacificandi, & Eccleſiæ Catholicæ aggregandi.

Tertium eſt, quia ex Can. 8. *Epheſino*, debent conſervari, imo & vi ablata repeti Eccleſiarum antiqua Privilegia: Inſula autem *Britannia* gaviſa eſt olim privilegio *Cyprio*, [e] ut nullius Patriarchæ legibus ſubderetur.

Hoc autem privilegium etsi abolitum olim fuit bellorum tumultibus & vi, tamen cum tempore *Henrici* octavi totius regni consensu fuit repetitum, & ab eo tempore pacifice præscriptum, videtur pacis ergo retineri debere sine dispendio Catholicismi, & absque schismatis ullius nota, modo in ceteris regnum se conformet universalibus Ecclesiæ Catholicæ Canonibus & consuetudinibus. Et hæc humillime suggero suæ Sanctitati, paratus ab ipso corrigi, si à veritate hic in quopiam declinavero. Certè consilium hoc non ex livore proficiscitur, sed ex unionis Catholicæ tam illustris regni desiderio.

Paralipomena ad Sect. 3.

[a] Videatur resolutio Ecclesiæ Gallicanæ in Concilio Turonensi 1510. sub *Ludovico* 12. Quæ extat apud *Bochellum* in decret. Ecclesiæ Gall. lib. 5. Tit. 5. cap. 5. sect. 3. Ubi quæritur an ob odium notorium & aggressionem injustam, liceat Principi subtrahere se ab obedientia Pontificis; attento quod Pontifex concitavit alios Principes & communitates, imo & tentavit cogere ad invadendas terras, & dominia ejusdem Principis? Conclusum est per Concilium Principem

cipem posse ab obedientia talis Papæ se subducere ac subtrahere, pro tuitione tantum ac defensione jurium suorum temporalium. Et pulchre *Gerson*, tract. de auferibilitate Papæ ab Ecclesia, consid. 14. *Si sit aliquis qui totam præcedentiam suam & Papalem dignitatem convertere velit in instrumentum nequitiæ & destructionis alicujus partis Ecclesiæ in temporalibus vel spiritualibus, nec pateat sufficiens remedium aliud, nisi subducendo se ab obedientia talis potestatis sævientis & seipsa abutentis, & hoc ad tempus, vel quousque Ecclesia vel Concilium provideant, hoc fas erit; dum tamen illud agere, pia quadam impellat necessitas.* Idem in quæstione, an liceat in causis fidei à summo Pontifice appellare, seu ejus judicium declinare, ait similes subtractiones multipliciter approbatas fuisse per sacrum *Constantiense* Concilium, ac specialiter in sessione publica celebrata die 6. Aprilis ann. Dom. 1415; & sic practicatum in Concilio *Pisano*: è quo scribens Cardin. *Leodiensis* in Epist. apud *à Niem* lib. 3. cap. 34. Ait, *hoc assertum* modo *à Gerson e esse notissimum*, & allegat pro se *Augustinum*, *Ambrosium*, *Bedam*, & alios. Et *Gerson* loco nuperrime citato ait *hanc propositionem Petri de Luna, quod nunquam licitum est facere subtractionem ab aliquo vero Papa, in Concilio*

Constantiensi reputatam fuisse hæreticalem. An autem causæ sint sufficientes subtractionis in regno Magnæ *Britanniæ* non est materia fidei, sed facti; in quo standum est prudentiorum & peritiorum rationibus & authoritati. Nam Prælati Ecclesiæ, ubi est quæstio de admissione pœnitentium ad communionem & sacramenta Ecclesiæ, in rebus facti præsertim, non debent esse nimis tenaces in propria opinione. *Caveant facile damnare peccati mortalis, ubi in praxi ob validam rationem vel authoritatem, probabilis esset opinio pœnitentis; cui, deposita practice ob aliquam circumstantiam, aut alterius possessionem propriæ sententiæ, confessarii se conformare tenentur: Nec enim tenentur semper tutiorem sententiam, si rigidior sit, sequi, sed satis est tutam; at si parum tuta habeatur pœnitentis opinio, perpendant confessarii an interdum non sit relinquendus in sua ignorantia cum bona fide: Confessarii debent benigniorem partem in dubiis sequi, in gratiam pœnitentis*: Ita Henriques Societatis Jesu Theologus, in summa Theologiæ Moralis lib. 6. de Sacramento pœnitentiæ cap. 26. num. 6. ex *Navarro, Sylvestro* & *Cordubensi*, quos ibi citat & sequitur.

[b] [c] Suppono non modo haberi probabilem, sed etiam certam inter Scriptores, partibus S. Pontificis faventes sententiam; eam

eam fidem habendam esse pro Catholica (ita ut opposita sit hæretica, & oppositam defendentes hæreseos insimulentur) quæ traditur ut talis per definitionem Oecumenici Concilii approbati ab indubitato Pontifice, ut cum *Cano* de locis Theologicis, lib. 5. cap. 4. Conclus. 3. & *Bellarmino* lib. 4. de Rom. Pontifice. cap. 2. reliqui passim fatentur. At sic Concilium *Constantiense* Sess. 4. & 5. Approbatum per Bullam *Martini* 5. & *Basilienſe* Sess. 2. confirmatum pro legitimo per Bullam *Eugenii* 4. Sess. 16. decernunt Papam subesse Concilio Oecumenico. Probabile saltem est igitur oppositum esse Hæresin.

Chronicon Chronicorum, opus docti *Anonymi* Scriptoris tempore *Eugenii* 4. eique faventis, scribit *Eugenium* per literas Apostolicas approbasse decreta eorum. Ita Platina etiam in *Eugenio*. Et res est legenti Bullas notissima.

Universitas Parisiens. in Appellat. contra *Leonem* 10. ait, damnationem *Basilienſis* Concilii esse contra fidem Catholicam.

Æneas Sylvius lib. 2. Comment. de Gestis Conc. Basil. narrat Eleemosynarium Regis Arragonum, Episcop. Ebronensem, Abbatem Virgiliacensem, & Episcop. Lubicensem, ubi adesse migrationis horam sensere, compluribus ad se viris gravibus accersitis coram

ipso

ipso Christi corpore, quem statim sumpturi, & ante cujus tribunal inter paucas horas comparituri erant; *Vos omnes, qui adestis, dixerunt, orate Deum ut illos convertat qui Gabrielem pro summo Pontifice recognoscunt, quia in eo statu salvari non possunt*; seque in fide Basil. concilii morituros professi, absque ulla excusatione dormientibus similes ad Dominum migraverunt.

Ludovicus Cardinal. *Arelatensis* vir doctrina & miraculis clarus, in orat. apud *Æneam* lib. 1. Com. Concil. Basil. vocat *Eugenium devastatorem Ecclesiæ*, & ei adhærentes *discedentes à veritate fidei & S. Patrum traditionibus*: E contra adhærentes *Basiliensi* concilio ait *pro veritate fidei & S. Patrum traditionibus mori non dubitare.* Ibidem *Æneas Sylvius* vocat sententiam anti-synodalem, *Engenianam* hæresin. Concilium *Pisanum* in literis apud *Bochellum* in decret. Ecclesiæ Gall. lib. 5. tit. 20. c. 40. vocat libellum *Cajetani* de authoritate Papæ, quia est contra concilium *Constantiense* & *Basil.* & *Pisanum*, & contra *Johannem Gersonem optimum Ecclesiæ defensorem, suffragium & plenum injuriis*; & *Cajetanus* propterea vocatur *homo audax & periculosus.*

Et vir doctissimus *Vigorius* Comment. in Resp. synod. Concil. Basil. sect. 5. num. 6. testa-

testatur pragmatica sanctione *Caroli* 7. decreta *Basil.* Concil. recepta fuisse cum consensu omnium ordinum Galliæ, Ecclesiæ Gallicanæ & Universitatum.

Quin & *Pius* 2. in Bulla retract. testatur pene ab omnium nationum viris *Basiliensi Concilio delatum.* Adeo ut verum *Vigorius* retulerit loco citato, *de approbatis per Constantiense Concilium de authoritate conciliari hæsitare, & protervum sacrilegium à præstantissimis Juristis*, quos citat, *pronuntiari.*

[d] Vide dictum S. *Roberti Lincolniensis* Episcopi (apud *Westmonstariensem Matthæum Paris* 1253. & *Harpsfieldium* sæc. 13. c. 24.) qui *maximum genus pertinaciæ in summis Pontificibus fore reputat, ut censuris excommunicationibusque cogant homines ad ea quæ prava sunt, & contra fidem & bonos mores militant, amplectendum.* Bulla autem excommunicationis in cæna vetans appellationem ad generalia concilia sub pæna excommunicationis, virtute vetat agnoscere ea esse supra Papam. Nam ut Juristæ docent *iniquitas aperta esset & contra jus naturæ, prohibere appellationem ad eum, qui agnoscitur esse superior.* Qui ergo vult videre sancte tollere appellationem ad Concilia per censuras, δυνάμει tollit eorum suprematum,

&

& poteſtatem ſupremam in Pontifices. Verba *Weſtmonſtarienſis* ſunt hæc ad annum 1253. *ſub rege Henrico 3. graviter redarguit tam fratres prædicantes quam minores, dicens, quod eorum Ordo ideo in paupertate voluntaria conſtituitur, ut liberius Magnatum error ab eiſdem reprehendatur: In hoc autem quod ipſi peccatum Magnatum audacter non redarguunt, eoſdem eſſe Hæreticos dixit manifeſtos: Et addidit; Hæreſis eſt ſententia humano ſenſu electa, Scripturæ ſacræ contraria, palam edocta, pertinaciter defenſa. Dare autem curam animarum parvulo, ſententia eſt alicujus Prælati, humano ſenſu electa, propter carnem vel temeritatem; & eſt ſcripturæ ſacræ contraria, quæ prohibet fieri paſtores qui non ſunt idonei ad arcendum lupos: & eſt palam edocta, quia manifeſte portatur charta ſigillata vel bullata: vel eſt pertinaciter defenſa, quia ſiquis voluerit contradicere, ſuſpenditur & excommunicatur. Cui autem tota definitio hæreſeos convenit, hæreticus eſt: ſed quiſque fidelis tenetur ſe opponere hæretico quantum poteſt; qui ergo poteſt contradicere & non contradicit, peccat, & videtur fautor eſſe erroris ſec. illud Gregorii, non caret ſcrupulo ſocietatis occultæ, qui manifeſto facinori deſinit obviare.* Hæc dixit occaſione literarum Papæ præcipientis facere aliquid quod videbatur eidem

dem Episcopo injustum & rationi dissonum. Judicium *Westmonasteriensis* de sancto *Roberto* tale est: *Hic Robertus bonum habens Zelum ad Dominum & Proximum, licet Canonicos suos multum vexaverit, & in Religiosos & Religiosas terribiliter fulguraverit, confidenter tamen dico, quod plus Deo placuerunt virtutes, quam displicuerunt excessus. Quod nunc per miracula ad tombam ejus coruscantia manifestatur.* Aitque quod *licet Dominus Papa valde commotus istiusmodi dictis & factis ipsum proposuit precipitare in confusionem, ut toti mundo foret stupor, & tremoris exemplum, tandem tamen consilio saniore emollitus, sub dissimulatione pertransire, ne majorem videatur super hoc tumultum excitare.* Hæc ille. Vide authores supr. citatos.

[e] Puto me facturum rem gratam antiquitatis studiosis si breviter hic ex tractatu nostro exscribam pauca, ex quibus constet *Britannos* & *Scotos* (quos vocamus *Hybernos*) ante adventum *Augustini* in *Angliam*, fuisse Catholicos, & in Occidentali Ecclesia gavisos esse iisdem privilegiis, quibus in Oriente *Cyprii* honorati sunt. *Gildas* sapiens testatur *Britanniam pene ab Apostolorum seculo habuisse Antistites, qui pacificis & formatis cum reliquo Orbe communicarunt, jam inde ab initio Evangelii. Tertullianus* adv. Judæos

num. 43. apud *Pamelium*, post numeratas è toto Orbe Ecclesias Catholicas, subdit, & *Britannorum inaccessa Romanis loca, Christo vero subdita esse*: & *Pamelius* in dictum locum ex *Beda* & *Polydoro Virgilio* fatetur, Britanniam totam non modo sub *M. Antonino Vero*, publice Evangelium recepisse sub *Lucio* Rege, sed etiam ex *Gilda* lib. de excid. Britann. asserit, ab ortu Evangelii à *B. Joseph* ab *Arimathea Britannos Christi religionem accepisse*. Vid. in eam rem *Pitseum* de Antiquit. Eccles. Britann. *Harpsfeld.* in hist. Angl. Eccl. c. 1. *Gildæ* suffragatur non modo *Tertullianus*, sed etiam *Origenes* Hom. 4. in *Ezechiel*. Imo & D. *Athanasius* in 2. Apolog. contra *Arrianos*, gloriatur ex Britannia sese contulisse Episcopos ad *Sardicense* concilium, in quo *Athanasii* absolutio obtenta fuit. Et in Epist. ad *Jovianum* Imperatorem, quæ extat apud *Nicephorum Callistum* lib. 10. Hist. Eccles. c. 42. probat se Catholicis per orbem diffusis Ecclesiis communicare, & inter alios Hispanicæ, Britannicæ, Gallicæ, quas Ecclesias ait fidem Catholicam *Athanasii* communi consensu recipere. *Hieron.* in Ep. 85. *Et Gallia & Britannia Ecclesiæ unum Christum, unam observant regulam veritatis.* Idem docet *Chrysost.* in orat. contra gentes. Et Catholicos Episcopos

veniſſe

veniſſe ad ſynodum *Ariminenſem* ex Britannia conſtat ex *Severo Sulpitio*, *Theodoreto*, *Hieron.* in Chron. *Ruffino*, *Socrate*, *Zozomeno* citatis ab *Harpsfeldio*, Hiſtor. Eccleſ. ſex prim. ſæc. cap. 15. & 16. Hanc communionem & unitatem regulæ, Eccleſiam Britann. ſervaſſe cum Gallicana uſque ad adventum S. *Auguſtini* in Angliam, & poſtea; fuſe in tractatu de Προσλείοις conciliorum probatum à nobis eſt: & patet ex lib. 1. Hiſt. gentis Anglorum, & *Harpsfeldio* loco citato cap. 20. & aliis Angliæ ſcriptoribus, Eccleſiam Gallicanam miſiſſe in Britanniam SS. *Germanum* & *Lupum* paulo ante adventum *Auguſt.* in Angliam, ad Britannicæ Eccleſiæ ſuccurrendum. Et *Beda* lib. 3. c. 7. narrat *Agilbertum Pontificem Gallum*, *legendarum gratia ſcripturarum*, *non parvo tempore demoratum in Hybernia*. Quinetiam patet ex *Beda* hiſt. l. 4. cap. 23. *Harpsfeldio* hiſt. 7. ſæc. c. 36. *Surio* & aliis, *Hildam Monialem Calenſem* miſſam in Angliam à S. *Aidano*, & Britannicæ Eccleſiæ communicaſſe. E contra vero, etiam tum cum in Calenſi Monaſterio doceret, S. *Marlovium*, *Brendanum*, *Sampſonem*, *Polenſem*, circa annum 560. Gallicanæ & Armoricæ Eccleſiæ communicaſſe, ſimul & Britannicæ & Hybernicæ, ut conſtat ex *Harpsfeldio* in-

ter alios c. 26. 27. Idemque feciſſe SS. *Furſeam*, *Ceddam*, *Fojlanum*, *Ultanum*, S. *Euſtachium* S. *Columbani* diſcipulum, *Diſibodium*, *Fredegundum*, *Cedwallam*, *Oſwaldum* Regem, *Wigbertum*, *Fiacrium*, *Willibrodum*, *Columbanum*, qui utrique Eccleſiæ & Britannicæ & Gallicæ communicarunt. Erat ergo Britannia tempore S. *Auguſtini* Apoſtoli (ut vocant) Angliæ, Catholica; & conſequenter Scotica ſeu Hibernica. Nam conſtat ex *Beda* lib. 2. c. 4. hiſt. Hybernos, quos Scotos vocant, *ſimilem vitam ac profeſſionem egiſſe*. Et poſtea, *Scoti nihil diſcrepabant in converſatione à Britannis*. Patet autem ex loc. cit. proxime D. *Beda*, c. 27. & *Henrico Huntingdonienſi*, hiſt. lib. 3. *Nec Britannos nec Scotos velle communicare cum Anglis, & eorum Epiſcopo ſancto Auguſtino, magis quam paganis*; & ratio erat quia videbatur *Auguſtinus ἀγαθὸς* agere cum iis, cogendo eos ut reciperent eum pro Archiepiſcopo, & mandatis exterorum ſe ſubderent. Cum antiqui mores Eccleſiæ ſuæ poſtularent ut omnia inter ſe ſynodice agerent, tum pro Epiſcoporum ordinationibus, tum pro aliis negotiis Eccleſiaſticis. Verba eorum ex *Beda* lib. 2. c. 2. Eccleſ. hiſt. ſunt, *Quod non poſſint abſque eorum conſenſu & licentia priſcis abdicare moribus*. Cum pateat hoc eſſe contra Canonem *Nican.* 6. qui jubet

bet *priscos mores servari*, & *Ephesinum* 8. Qui vult *jura Ecclesiarum non tolli*, & *si tollantur etiam à quovis Patriarcha irritum declaratur ejus factum*. Et mandatur ei, ut *provinciam quam suam fecerit, restituat*. Interim Britannicæ Ecclesiæ mores quinam sint, licet ex *Bed.* hist. lib. 3. cap. 3. discere.

S. *Oswaldus rex, Scotica & Britannicæ communionis observator, cupiens habere Antistitem cujus doctrina & ministerio regeretur gens Anglorum, misit ad majores natu Scotorum. Illi tractatum magnum in concilio quid esset agendum habere caperunt: decernunt Aidanum dignum Episcopatu, sicque illum ordinantes ad prædicandum miserunt.* Quæ consuetudo in Hybernia diu duravit, ut constat ex *Sylvestro Giraldo* in Topographia Hyberniæ, dist. 3. c. 17. In Hybernia tamen Episcopi se invicem consecrabant, usque ad tempus *Eugenii* 3. quo missus fuit *Papyrius* legatus ad constituendam ibi Archiepiscopos. Et ex *Huntingdoniensi* lib. 3. hist. Et *Bed.* lib. 2. constat & Scotos & Britannos *omnia sua communi consensu egisse*. Imo ut constat ex *Baronio* ad ann. 1089. in fine illius anni *Lanfrancus Cantuariensis* refert, in Epistola ad regem Hyberniæ Terdeluacum, *consuetudinem regni fuisse, ut Episcopi ab uno Episcopo consecrarentur*. Imo Britannicas Ecclesias fuisse

Ca-

Catholicas judicio ipsius *Augustini*, quocum nolebant communicare, patet ex lib. 2. hist. *Bed.* c. 2. Nam *Augustinus* offert Episcopis Britanniæ suam communionem, modo vellent se Ecclesiæ Romanæ conformare in ceremoniis Baptismi, & observatione Paschatis. Quæ ostendunt Britannos convenisse cum *Augustino* in rebus fidei. Circa hoc obiter nota lapsum *Bedæ*. Nam in libro de 6. Ætat. mund. ann. 4591. scribit Scotos fuisse Quarto decimanos, & tamen *Beda* lib. 3. c. 4. ait eos Dominica Pascha celebrasse; quo die constat *Anatolium* Constantinopolitanum Patriarcham, qui usum suum illis tradidisse asserebatur, Pascha celebrasse. Mores antiqui Britanniæ, vi & potentia Anglo-Saxonum erant abrogati, potius quam synodico consensu. Quod videntes viri sanctissimi *Colmannus* & socii, *malnerunt potius Episcopatum & Monasteria, quam antiquos vivendi mores deserere*; ut narrat *Bed.* l. 3. c. 26.

Hæc cum ita essent, tres status Angliæ, volentes antiqui regni jura, potius vi & potentia, quam ex Canonum norma, ablata repetere; Ex concessione Canon. 8. *Ephesini*, an. 24. *Hen.* 8. c. 12. Statutorum, decreverunt lites intra regni limites terminari sine provocatione ad exteros.

SECTIO

SECTIO IV.

De Catholica Eccleſia Romana.

NImis anguſti pectoris ſunt, qui Catholicam Eccleſiam Romanam quæ eſt Univerſalis & ſymbolo contenta, ad unum hominem, unamve civitatem coarctant. Nam qualibet civitate, & quocunque homine figillatim ſumptis deſinentibus exiſtere, adhuc tamen ſubſiſtit Eccleſia Univerſalis. Dicitur ergo Eccleſia Univerſalis ex occaſione [a] Romana; quia fides quam Romani imperii Imperatores, Reges, Dynaſtæ, Epiſcopi, Presbyteri, Doctores, ſancti & fideles profeſſi ſunt, diffuſa fuit per totum imperium Romanum, ac conſequenter per totum orbem, πᾶσαν τὴν οἰκουμένην. *Luc.* 2. v. 1. Inde evenit quod fides per tot ſæcula recepta in toto œcumenico & univerſali imperio, fides œcumenica, univerſalis & catholica merito vocaretur; & per conſequens Eccleſia illam profitens Univerſalis, Catholica, & Romana diceretur. Hinc ſequitur eos qui aiunt ſe à Romana Eccleſia diſcedere, fateri debere ſe *Ambroſii*, *Auguſtini*, & aliorum ſan-

ſanctorum fidem per Romanum imperium diffuſam tenentium, conſortium & ſocietatem & Eccleſiam renuere. Quod quam periculoſum dici ſit, cuivis pervium eſſe poterit.

Paralipomena ad Sect. 4.

[a] Videatur in hanc rem lib. 1. cod. *Juſtin.* tit. 2. de ſacro-ſanctis Eccleſiis per totum: & tit. 3. de Epiſcopis & Clericis. Ex quibus conſtat ſolos Catholicos Epiſcopos & fideles, eſſe illos quorum religioſa profeſſio & perſonæ muniuntur Imperii Romani legibus. E contra vero, *Hæreſes* Catholici imperii fidei diſcrepantes, aſſeruntur eſſe *vetita Romani imperii conſtitutionibus Imperialibus.* Cod. de *Hæret.* tit. 5. cap. 2. *quia,* & ibid. c. 1. dicitur, *Privilegia quæ contemplatione Religionis indulta ſunt, Catholicæ tantum legis obſervatoribus prodeſſe oportet.* Et c. 3. *Adimit* Imperator cunctis *Hæreticis omnia loca quæ ſub Eccleſiarum nomine tenentur.* Reſtat ergo quod Eccleſia Catholica ſola quæ gaudet privilegiis & approbatione Romani imperii ſit Romana, & hinc factum eſt ut *Hieron.* Ep. 85. *Romana urbis Eccleſiæ, præferat Romani Orbis Eccleſiam & Authoritatem;* Et *Eccleſiam orbis* vocat *nationes omnes unum Chriſtum adorantes, unam obſervantes*

servantes regulam, & negat illam authoritatem majorem, qua orbis major est urbe, haberi ratione Episcopi Romani, quia *Episcopus Romæ & Eugubii ejusdem meriti, ejusdem Sacerdotii, omnes Apostolorum successores.* Hinc factum ut *Theodosius* Junior in Epistola ad *Acacium Beræensem*, quæ extat in actis synodi *Ephesinæ*, tom. 5. cap. 10. edit. Peltan. & Victor *Uticensis* de persecut. *Vandalica* lib. 2. *Gregorius Turonensis* de glor. Martyr. c. 79. 25 & 30. Et *Baron.* Tom. 1. Annal. ad an. Chr. 45. num. 10. partim vocent, partim dici afferunt Catholicos, tam apud nostros quam apud exteros, Romanos. Constat enim ex *Eusebio* hist. Eccles. lib. 9. cap. 1. & passim ex *Sozomeno*, *Socrate*, *Evagrio* & aliis, omnes qui spectabant ad imperium Romanum ratione privilegiorum aut subjectionis, solitos dici Romanos. Et notatu dignum est ex legatione *Luitprandi Cremonensis* ad *Nicephorum* imperatorem pro *Othone* & *Adelharda*, Græcum imperatorem ad contumeliam inferendum Occidentalibus, qui defecerant ab imperio Græcorum, sic dixisse: *Vos non Romani, sed Longobardi estis.* Et erudite *Henricus Canisius* not. marg. ad *Luitpr.* legat. pag. 87. edit *Ingolstadii* ann. 1600. notat ex *Nicetæ Curopalata*, & aliis notum esse Græ-

cos nomen Romanum sibi proprium feciſſe; quippe ſe ſolos Romanos, reliquos vero Latinos vocant. Quod & diſci poteſt ex hiſt. *Turco-Græca Johannis Molavi.* Quare ſicut Græci extra Italiam nati, geſtiunt ſe Romanos vocari, eo quod Romanum imperium ad ipſos, vel ipſi ad Romanum imperium ſpectare reputentur. Ita Catholici extra fines Italorum degentes, Romani audient eo quod fidem illam colunt, quam Imperatores Romani privilegiis donarunt & edictis ſuis munierunt. Huc ſpectat confeſſio Concilii *Conſtant.* in præſtit. ad ſeſſ. 8. *ſacro-ſancta Conſtantienſis Synodus, Generale Concilium faciens, & Eccleſiam Catholicam repræſentans.* Et paulo poſt, huic Articulo *Wickleſi, non eſt de neceſſitate ſalutis credere Romanam Eccleſiam ſupremum eſſe inter alias Eccleſias*; hæc cenſura ſubjuncta eſt, ab eodem Concilio, *viz. error eſt ſi per Romanam Eccleſiam, univerſalem Eccleſiam, aut Concilium Generale; aut pro quanto negatur primatus ſaltem Pontificis ſuper alias Eccleſias.*

Iſidor. de off. Eccleſ. lib. 1. c. 1. dicit Eccleſiam dici Catholicam quia per Univerſum mundum eſt conſtituta, ac per arg. à proportione, Eccleſiam recte dici Romanam quia per Univerſum imperium Romanum conſtituta erat. Adde

his

his conjecturam doctissimi & Integerrimi viri *Petri Aliacensis* quæst. vesp. art. 2. dist. 3. quæ pene coincidit sententiæ jam traditæ, ait namque *Romanam Ecclesiam sumi pro omnibus credentibus fidem Apostolicam prædicatam Romanis* & sic, *Universalis Ecclesia Romana & omnes fideles possent appellari Romani, & isto modo sumitur Ecclesia Romana, ubicunque innuitur quod contra fidem errare non potest.* Vocati sunt ergo Romani ab *Aliacensi* qui recaperant fidem in Romano imperio prædicatam, quam profitentes quia fruuntur privilegiis imperii, reputantur quasi civitate donati: & eo sensu ubicunque nati Romani censentur: ut constat de *Paulo* Act. 22. v. 27. 28. Et Imperat. *Justinian.* in proœm. ad 50. libros Digest. tit. de Conceptione Digest. num. 4. *Ubicunque observatum dicitur Romanum.* & num. 6. *Imperator Romanus* ait, *omnia nostra facimus, quibus ex nobis impertitur authoritas*: & tit. 5. 1. Inst. *Liberti omnes* dicuntur *civitate Romana decorari.*

SECTIO V.

De Justificatione per fidem, de Meritis, bonis Operibus, & Certitudine salutis.

PEr fidem [a] vivam & operativam, qua credimus peccata omnia & pœnas omnes eis debitas, nobis confidentibus in Christum condonari, admittimur ad participationem meritorum Christi, ad purificationem per sanguinem ejus, ad copiosam redemtionem & remissionem peccatorum, quoad pœnam & culpam omnem; denique ad pacem & reconciliationem cum Deo. Opera [b] bona qua opera sunt, id est spectant ad mandatum, *fac hoc*, non justificant, sed solum quatenus sunt actus fidei justificantis, eliciti aut imperati ab ea. Nam sancti per fidem operantur justitiam: Ac à Deo bona opera sunt, & merita nostra omnia sunt miserationis Domini. Meremur non ex debito operum, sed ex misericordia per fidem concessa.

Cum vero fides sit scientia salutis, & credere sit quoddam scire, sequitur, quod quemadmodum

modum sciens scit se scire, ita quisquis ad salutem credit, credit se credere salutari fide: ex quo efficitur pie in Christum credentes, certos esse de sua fide justificante, qua justi sunt.

Paralipomena ad Sect. 5.

[a] Glorioſum & liberale teſtamentum Chriſti confirmatum nobis in morte teſtatoris ſcribitur ad *Heb.* 8. & 10. in eo conſiſtere, quod *peccatorum non recordabitur amplius.* Fides ergo Novi Teſtamenti credit eos qui ſpectant ad Teſtamentum hoc, habere remiſſionem peccatorum & pœnarum omnium. Nam vere recordatur peccatorum qui habet in animo ea punire.

Sola fide nos juſtificari expreſſe aſſerunt Paulus *Rom.* 3. & 4. *Ambroſius* in Ep. ad *Rom.* 4. 1 *Cor.* 1. *Heſychius* lib. 4. c. 2. in *Levit. Marius Victor* in *Geneſ. Chryſoſt.* in *Rom.* 4. Hom. 8. circa initium. in *Heb.* cap. 11. Hom. 23. & Hom. & ad *Rom.* 3. Hom. 7. *Theodoret.* in *Epheſ.* 2. *Baſil.* ſerm. de humilitate. *Orig.* in *Rom.* 3. *Hilarius* de Paralytico, Comment. in *Matth.* cap. 8. *Bernard.* ſerm. 22. in *Cant. Auguſt.* ſerm. 181. de tempore. & contra duas Epiſt. *Pelagian.* lib. 1. c. 21. *Tertullianus* (factus Montaniſta)

in

in lib. de Jejuniis. c. 2. Catholicis id dictum imputat, *Credam, Diligam Deum & proximum, mihi cætera non sunt necessaria*, &c. *Cyprian.* lib. 3. ad *Quirin.* c. 42. *fidem tantum prodesse, & tantum nos posse quantum credimus. Leo* magnus Epist. 78. *Catholica fides sola vivificat, sola sanctificat.* S. *Petrus Chrysologus* serm. 33. *diu laborat, qui fide sola nescit curari.* serm. 34. *sola fides totum proficit ad salutem. Conradus Clingius* in Catechismo Catholico lib. 1. c. 58. *Dei promissioni siquis credit & non dubitat, hæc fides facit Deo acceptum; fides simpliciter hæret verbo Dei, & sine hæsitatione durat in verbi fide, & non videbit mortem in æternum. Jo. 8. Rom.* 10. *Omnis qui credit in illum*, &c.

Notanda est maxima hæc differentia legis & Evangelii, Lex sub conditione promittit mercedem, & si servavero legem & præceptum, habeo bona temporalia *Deut.* 28. *Si vis ad vitam ingredi serva mandata Mat.* 19. Evangelium autem sine conditione, gratis propter fidem in Christum pronuntiat nos justos, i. e. acceptos esse Deo, etiamsi non satisfaciamus legi. Ita conscientia sit certa se habere remissionem peccatorum. Qui igitur sic docent, si contritio est sufficiens, consequeris remissionem; si servasti sufficienter præcepta,

intrabis in regnum cælorum; isti asserunt conditionem legis, & relinquunt conscientiam incertam de remissione, & illa dubitatio maxime evacuat Evangelium. *Cassander* in consult. art. 4. *hominem gratis justificari per fidem, semper in Ecclesia probatum & retentum fuit; & hodie quoque ab omnibus Ecclesiasticis scriptoribus approbatur.* Et ibidem de *Enchiridio Colon.* Concil. ann. 36. post 500. edito, ait, *esse librum ab omnibus eruditioribus Theologis, etiam per Italiam & Galliam summopere collaudatum; ut qui summam sententiæ veterum de Christiana Religione, ex quorum scriptis quasi conformatus est, pulcherrime referat.* In eo igitur sic legitur. *Dicimus hominem per fidem donum justificationis tum demum consequi, cum & perterrefactus & concussus pænitentia, rursus erigitur per fidem, credens remissa esse sibi peccata propter meritum Christi, qui in se credentibus, remissionem peccatorum pollicitus est. Et cum novum in se sentit affectum, quo detestans malum & carnis infirmitati resistens, ad bonum faciendum intus accenditur; tametsi affectus nondum perfectus sit. Fatemur verum esse, ad justificationem hominis omnino requiri, ut homo certo credat non tantum generaliter, quod propter Christum vere remittantur pænitentibus peccata; sed & quod ipsi homini remissa sunt propter Christum per fidem.* Liber Ratisbo-

tisbonensis *Caroli* 5. authoritate editus, ita de justificatione ait, *firma & sana doctrina est, per fidem vivam & efficacem justificari peccatorem. Vocamus autem fidem vivam, motum spiritus sancti, quo vere penitentes veteris vitæ, eriguntur ad Deum, & vere apprehendunt misericordiam in Christo promissam: ut jam vere sentiant, quod remissionem peccatorum & reconciliationem propter meritum Christi, gratuita Dei bonitate acceperunt.*

[b] *De bonis operibus & meritis candide intellectis, pugna non est*, ait *Cassander* art. 6. Consult. Intelligentiam autem sinceram, quam Catholici Romani, & Protestantes amplexantur, ablata λοιδορία explicat ex disputatis *Buceri* Ratisbonæ ann. 1546. *si sancti Patres* (inquit *Bucerus*) *aut alii intelligant per, Mereri, facere ex fide gratiæ Dei bona opera quibus Deus mercedem promisit, & rependet: hoc sensu usurpare illud verbum minime damnabimus.* Subdit *Cassander* suum judicium. *Quo autem sensu hoc vocabulo meriti & merendi usi sunt Patres & Catholici, obscurum non est, nempe ut per illud, gratia Dei, ex qua merita omnia oriuntur, nihil detrahatur. Quare nihil est, cur aut Ecclesiastici ab hac loquendi forma & sententia in Ecclesia olim usitata discedant, aut Protestantes eam tam odiose repudient & damnent.*

Doce-

Docetur itaque à Catholicis *meritum* sic, ut etiam doceatur ex Patribus, quod habet *Greg.* in Hom. 10. Ezechielem. *Non in actibus nostris sed in Advocati nostri allegatione confidimus; Qui Advocatus omnium piorum spes una est,* (ut ait *August.* contra duas Epistolas *Pelagii* lib. 3. c. 5.) & ita ut doceatur (verbis utar *Cassandri* loco proxime citato) *non prætermittendam doctrinam quam summo consensu veteres omnes tradunt, fiduciam remissionis peccatorum, & spem veniæ & vitæ æternæ, in sola Dei misericordia & merito Christi esse collocandam.*

Certitudinem infallibilem salutis aperte docet *Bernard.* Serm. 1. de Annunciat. ubi loquens de fide divina & infallibili, qua credimus peccata non posse deleri, nisi ab eo cui soli peccamus; addit huic fidei, aliud spectans ad fidem illam divinam. *Adde huc ut & hoc credas, quia per ipsum peccata tibi condonantur. Hoc est Testimonium quod perhibet in corde spiritus sanctus dicens, dimissa sunt peccata tua.* Idem Epist. 107. Serm. 5. de dedicat. Serm. 8. & 69. in Cantic. *Augustin.* lib. 13. de Trinitate cap. 1. *fidem porro ipsam quam videt quisque in corde suo esse, si credit; vel non esse, si non credit, aliter novimus: non sicut corpora quæ videmus oculis corporeis, & per ipsorum imagines quas memoria tenemus, etiam absentia cogitamus; nec sicut ea quæ non vidimus,*

& ex iis quæ vidimus cogitatione utcunque formamus, & memoriæ commendamus; nec sicut Dominum vivum, cujus animam etiamsi non videmus, ex nostra conjicimus, & ex motibus corporalibus hominem vivum, sicut videndo didicimus, intuemur etiam cogitando. Non sic videtur fides in corde in quo est, ab eo cujus est; sed eam tenet certissima scientia, clamatque conscientia. Id quod credere jubemur, videre non possumus; ipsam tamen fidem, quando inest in nobis, videmus in nobis. Idem docet tract. 75. in Johannem. & idem insinuat *Greg.* Dial. l. 1. cap. 1. & lib. 6. Reg. cap. 23. ubi docet *evidentiam & formidinis consumtionem. Tertull.* c. 39. Apol. vocat nos *certos de Dei conspectu.* Et lib. 20. de cultu fœm. c. 20. *securi simus de conscientia nostra.* Lib. de Bapt. c. 18. *fides integra secura est de salute.* Lib. de resurr. carn. c. 34. *Nobis arrabonem spiritus reliquit; securi estote caro & sanguis, usurpastis cœlum & regnum Dei in Christo.* In Scorpiaco c. 1. *fides de suo tuta est.* lib. 4. carm. contra Marc. c. 8. *Puraque fide certaque salute, Æternam toto sperantes tempore vitam. Cypr.* lib. 3. Epist. 25. triumphum Christiani in eo ponit, quod sit de *Judicii die securus, ambulet captivo corpore, corde regnante, sciat Christum secum esse præsentem.* lib. 4. Epist. 4. *securus sit quia pax ventura*

tura est. Idem tract. contra Demetrianum, & Serm. de mortalitate. *si vere in Deum credis cur non cum Christo futurus, & de Domini pollicitatione securus, quod ad Christum voceris, amplecteris? Deus tecum loquitur, & tu mente incredula perfidus fluctuas? Hoc est in Ecclesia constitutam fidem in domo fidei non habere. Mori plane timeat, sed qui ex aqua & spiritu non renatus gehennæ ignibus mancipatur.* Et de Exhort. Martyr. c. 10. & lib. 3. ad Quirinum c. 2. & 58. similia habet. *Leo* mag. Serm. in anniverſ. Assumt. *nemo diffidat.* Serm. 1. in Nativ. Serm. 8. in Epiph. Serm. 6. & 9. de Quadrages. Item Serm. 3. de pass. Item Serm. 15. de pass. & de Resurrec. Serm. 1. & 2. *ita dubitandum non est credentibus in eum de consortio gloriæ, sicut dubitandum non est de communione naturæ, si corde credimus, sumus in ipso suscitati.* Serm. in Jejunium decimi mensis. *Nemo ambigat, nemo diffidat.* S. *Maximus* Hom. 3. de Nat. Domini Hom. 2. de Latrone, Hom. 2. de Pascha. Hom. 3. de Pascha. *Petrus Chrysologus* Serm. 17. 21. 25. 28. *Ambros.* in Epist. ad *Horentium* lib. 5. de Jacob. & vita beata lib. 1. c. 6. Serm. 7. in Psal. 118. serm. 5. *Basil.* Reg. contract. 9. 296. *Cyrill. Alexand.* in Joannem lib. 10. c. 3. *Chrysost.* in Epist. ad Rom. 8. Hom. 14. *Anselm.* in

Epist. ad Rom. 8. & in 2 ad Corinth. 13. *Rhemigius* in Psal. 10. *Theophylact.* in Marc. 11. *Alensis* in 2. D. Th. q. 12. Art. 20. *per scientiam experimentalem possumus scire nos habere gratiam.* S. *Thom.* 1. 2. quæst. 112. art. 5. ad 2. *Quicunque habet scientiam vel fidem, certus est se habere.* *Scotus* lib. 3. dist. 23. *Credo me habere fidem infusam, sicut credo Deum esse trinum & unum.* *Cajetan.* in Rom. 8. *Credo quod sum filius Dei.* *Anton. Marinarius* orat. habita in Conc. Trident. 1546. *Claudius Guillandus Bellavicensis,* Comment. in Epist. 2. ad Tim. ult. *Hieronymus* ab *Angesta Catharinus* ann. 1552. edidit Romæ impressum tractatum, comprehensum 14. assertionibus, de certitudine gratiæ ex fide veniente; & notat assert. 5. de *ea scholasticos, & præsertim D. Thomam varie & obscure docere, quod cuivis potest patere, inspecto loco proxime citato ab eo.* Et observat bene ex *Roffensi* contra Luth. de lib. arb. *patrum sententias explorandas, adversus quas non sunt admittenda argutiæ scholasticorum.* Et defensione seu expurgatione contra D. *Sotum* 1551. impres. *Lugduni,* citat pro se pag. 88. *Baconium, quem totus ordo Carmelitarum sequitur;* & *in synod. Trident,* asserit *pro hac certitudine sententiam dixisse duos generales ministros Ordinis Minorum; & ejusdem ordinis, Himellum Card.*

S.

S. Crucis; Episcopum Lavellanum, Episcopum Senagallensem, generalem Carmelitarum, Ludovicum Canasilem Card. Doctorem Italum, pluresque Doctores Italos & Hispanos non obscuri nominis cujuscunque ordinis, tum religiosos, tum seculares. Ita pag. 178. suæ expurgationis. Sect. 6. *de Sacramentis in genere.*

SECTIO

SECTIO VI.

De Sacramentis in genere.

PUlchre B. *Petrus Chrysologus* Serm. 56. tractans illud *Pauli* ad Rom. 10. ait, Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem, *magnum fidei nostræ videmus esse compendium: quomodo inter cor & linguam totum salutis humanæ versatur, & geritur Sacramentum---Totum in se habet Homo qui se habet.* Cum autem tota nostra justificatio, salvatio & unio cum Christo Gal. 3. v. 28. reducatur ad solam [a] fidem oris seu exteriorem professionem, vel ad fidem cordis, seu interiorem credendi actum, sequitur quod Sacramenta per quæ justificamur, pertineant ad usum fidei, non internum sed externum; Sacramenta igitur, qua sunt fidei professiones à Deo institutæ, fiunt & sumuntur ad salutem animæ nostræ.

Etsi autem inter alia Sacramenta duo [b] sint maxime præcipua & illustria, Baptismus & Eucharistia: tamen ultra [c] duo illa, alia quinque sunt solennes fidei professiones, vere conferentes salutem & justificationem: quo-

quorum solennis usus & receptio, sine ministrorum Ecclesiæ interventu & ope, exerceri nequit; quæ propterea speciali nota vocantur Sacramenta; & ad septenarium numerum precise reducuntur, eoque nomine ab Ecclesia rite celebrantur.

Paralipomena ad Sect. 6.

[a] D. *Thomas* 2.2. q. 3. a. 1. in corp. & scholastici communi consensu cum eo tenent, *quod sicut conceptus eorum quæ sunt fidei, est propius actus fidei: ita etiam & exterior confessio.* & reddit rationem, nam *actus exteriores illius virtutis propriè sunt actus, ad cujus fines secundum suas species referuntur. Confessio autem eorum quæ sunt fidei, secundum suam speciem ordinatur sicut ad finem, ad id quod est fidei. Exterius enim locutio, ordinatur ad significandum id quod in corde concipitur.*

[b] *Rupertus Tuiciensis* de victoria verbi Dei lib. 12. c. 2. petit, quæ & quot sint præcipua salutis nostræ Sacramenta. Respondet, *sacrum Baptisma, sancta corporis & sanguinis Christi Eucharistia. Hugo de S. victore* lib. de Sacr. par. 9. cap. 6. vocat dicta duo Sacramenta, *ea in quibus principaliter salus consistit & percipitur; sunt alia quæ si necessaria non sint ad salutem, quia sine his salus*

haberi

haberi poteſt, proficiunt tamen ad ſanctificationem. *Alenſ.* part. 4. q. 8. a. 2. ait, *duo prædicta Sacramenta eſſe ſola principalia à Deo per ſeipſum inſtituta.* *Caſſander* in conſult. cap. 13. *In hoc certe controverſia nulla eſt, duo eſſe præcipua ſalutis noſtræ Sacramenta, in quibus principaliter ſalus conſtat & percipitur.* *Quomodo loquitur Rupertus Tuitienſis.* & *Hugo de S. Victore.* *Et hoc inſtituto etiam Paſchaſius de Euchar.* c. 3. *duorum tantum præcipue doctorum Sacramentorum meminit.*

[c] Conſtat ex eis rationibus quas D. *Thomas* limavit ad colligendum numerum Sacramentorum; Eccleſiam relinquere diligentiæ Doctorum Catholicorum, ut inveſtigent congruentiæ rationes ad concludendum numerum Sacramentorum. Itaque qui melius de ea re divinaverit, palmam videtur obtinuiſſe. Hæc autem noſtræ divinationis ratio eſt, quia niſi in numero Sacramentorum conſideremus illuſtrem & ſolennem uſum eorum, quæ dependent à miniſterio ſacerdotum, numerus facile excedet ſeptenarium ex calculis Patrum & Doctorum. Nam *Cyprian.* ſeu potius *Arnold. Bonaval.* in tract. de ablutione pedum, videtur ablutioni pedum tribuere, quod ſit *ultima lavacri ſpecies, quotidianis expiationibus accommodata, per quam animæ ſordes lavantur.*

Ambroſ.

Ambros. lib. 3. de Sacr. c. 1. *ablutionem pedum* ait *mysterium esse & sanctificationem*: & negat eam esse solum *ministerium humilitatis*, prout dicunt ii qui Romanam Ecclesiam excusare conantur, omittentem hoc mysterium. *Vide ergo* ait *Ambros. ne Romana Ecclesia forte propter multitudinem eam declinavit. Hoc dico, non ut alios reprehendam, sed mea officia ipse commendem. Ideo quod alibi rectius servatur, & nos recte custodimus.* Aitque se sequi *Petrum sacerdotem Romanæ Ecclesiæ, eum agnoscit sub fidium sanctificationis ex lotione contra insidias serpentis, qui supplantare conatur pedes nostros.* *Bernardus* etiam Serm. 2. in cæna Domini, ait, *Petrum vidisse in lotione pedum magna humilitatis indicia, ignorasse tamen hujus rei mysterium, quod sciret postea, cita majora videbit; mysterium est.* & *Bernard.* conatur fuse id mysterium explicare in eodem Sermone. Imo *Augustinus* qui censet numerum sacramentorum ex scripturis definiendum, præscindendo ab illustri usu limitato ad ministros Ecclesiæ, videtur innuere numerum sacramentorum indefinitum. Nam. l. 19. contra *Faust.* c. 16. distinguit *Sacramenta* nostra à veteribus, quod *hæc facienda significant, illa vero facta enunciant*: & de utrisque ait, *quid sunt aliud quæque corporalia Sacramenta, nisi quadam qua-*

si verba visibilia, sed sacro-sancta. Et Epist. 3. *rerum*, ait, *divinitus imperitarum, vel inducendæ virtutibus animo, vel æternæ salutis adipiscendæ, quædam signa sunt; quorum celebratione atque functione, non Deo sed nobis, utilia pietatis officia exercemur. Nimis autem longum est convenienter disputare de varietate signorum, quæ cum ad res divinas pertinent, sacramenta appellantur.* Et Epist. 118. & de Doctrina Christiana lib. 3. c. 9. rem indeterminatam reliquit: nam recensitis duobus præcipuis Sacramentis, quæ vocat *numero paucissima, observatione facillima, significatione præstantissima*; addit, *& si quid aliud in scripturis Canonicis commendatur.* Idem facit *Ambros.* l. 1. de Sacrament. c. 6. qui profitetur se de *numero & meritis eorum dicere ea, quæ colligere possit de sacris scripturarum.* Sumendo Sacramentum pro signo, & sancta protestatione rei sacræ, absque arctatione ad ministros Ecclesiæ; condonatio injuriarum Sacramentum erit, quando usurpatur eo animo, ut protester remissionem peccatorum exinde deberi: juxta id Matth. 6. 14. & idem est de prædicatione verbi, ut gratiam Dei recipiant, 2 Cor. 6. 1. Et ut fides ex auditu, Rom. 10. v. 14. De elargitione calicis aquæ frigidæ, Matth. 10. v. 42. quando fit ad protestandum mercedem mihi

hi deberi: & par ratio eſt de quavis fidei confeſſione, per quodvis bonum opus, ad ſignificandum eam fore mihi ad ſalutem. Rom. 10. v. 10. ac per conſequens numerus Sacramentorum erit innumerus. Ita *Alexander* 1. Papa Epiſt. 1. *in aqua benedicta, virtute ſacrorum verborum divinitus ſacrari elementa* dicit. Ita *Auguſt.* lib. 2. de peccat. meritis & remiſſ. c. 26. ait, *Catechumenos ſanctificari per ſignum crucis, per orationem impoſitionis manuum, per id cibi quod accipiunt, quod quamvis non ſit corpus Chriſti, ſanctum eſt tamen, & ſanctius quam cibi quibus alimur, quoniam Sacramentum eſt.* Denique ex *Auguſt.* lib. 19. contra Fauſt. c. 14. *patet Sacramenta veterum fuiſſe prænuntiationes futurorum: noſtra vero enuntiationes revelationis fidei, ex qua, munere pietatis, intellecta etiam vivimus: quia in hac vita nemo poteſt eſſe juſtus, niſi qui ex fide vivit.* Ita *Auguſt.* aperte vult Sacramenta eſſe confeſſiones ſpeciales fidei, & (ut ipſe loquitur c. 16. l. 19. citati) *quaſdem locutiones ſeu verba viſibilia ſacro-ſancta fidei in Chriſtum.*

Confirmari id poteſt ex illuſtri loco tract. 80. Expoſ. in Joan. à paucis bene perpenſo; ubi ſic ait, *Jam vos mundi eſtis propter verbum quod locutus ſum vobis, Quare non ait mundi eſtis propter Baptiſmum quo loti eſtis, niſi quia*

& in aqua verbum mundat? Detrahe verbum, & quid eſt aqua niſi aqua? accedit verbum ad elementum & fit Sacramentum, etiam ipſum tanquam viſibile verbum. Unde iſta tanta virtus aquæ ut corpus tangat & cor ablnat, niſi faciente verbo? non quia dicitur ſed quia creditur. In quibus verbis continetur, & vocem & elementum in Baptiſmo eſſe quoddam verbum fidei, ſeu confeſſionem actumque externum ejus: & ſub ea ratione Baptiſmus mundat. Et idem eſt de aliis Sacramentis in quibus mundatio non debet tribui actioni exteriori, prout provenit à natura; ſed prout elicitur à fide, & virtutem ejus in ſe continet. Quod ſic docet *Auguſt. Nam & in ipſo verbo, aliud eſt ſonus tranſiens, aliud virtus manens, hoc eſt verbum fidei quod prædicamus, ait Apoſtolus, quia ſi confeſſus fueris in ore tuo, quia Dominus eſt Jeſus, & credideris in corde tuo, quia Deus illum ſuſcitavit à mortuis, ſalvus eris; corde enim creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem.* Rom. 10. 8. v. 9. 10. *Unde in Act. legitur fide mundans corda eorum;* Act. 15. 9. *Et in Epiſtola ſua B. Petrus ſic, & vos, inquit, Baptiſmus ſalvos facit, non carnis depoſitio ſordium, ſed conſcientiæ bonæ interrogatio, hoc eſt verbum fidei quod prædicamus,* 1 Pet. 3. 21. Ubi aperte exponit verbum fidei eſſe confeſſio-

ſſio-

feſſionem fidei in Sacramento, facto viſibili verbo per virtutem fidei. Et ſiquis dicat & objiciat, Hæreticus Baptizans caret fide, & tamen baptizat; non igitur Baptiſmus eſt confeſſio fidei. Reſpondet *Auguſt. Baptiſmum eſſe confeſſionem fidei Eccleſiæ, cujus quilibet Baptizans eſt miniſter. Hoc verbum fidei*, ait, *tantum valet in Eccleſia Dei, ut per ipſum, credentem, offerentem, benedicentem, tingentem, etiam tantillum mundet infantem, quamvis nondum valentem in corde credere ad juſtitiam, & ore confiteri ad ſalutem.* Reducit igitur totam mundationem in Sacramentis ad verbum fidei; ſicut alibi tota juſtitia & ſalus à *Paulo* reduci dicitur ad fidem oris: vid. *Auguſt.* Epiſt. 23. ubi explicat *infantes Baptizatos dici fidem habere, quia habent Baptiſmum, quod eſt Sacramentum fidei.* Colligi autem poteſt ex eodem *Auguſt.* lib. 19. citato c. 2. ratio cur Eccleſia exactius obſervaverit quaſdam fidei ſpeciales profeſſiones, ope paſtorum Eccleſiæ celebrandas; quia potiſſimus ſcopus Chriſti in inſtituendis Sacramentis eſt, ut ait ibi, *congulare homines in nomen religionis, eoſque colligare ſignaculorum vel Sacramentorum viſibilium conſortio. Et ad hunc finem*, ait, *Sacramentorum vim inenarrabiliter valere plurimum, & ideo contemptam ſacrilegos facere. Impie quippe contemni-*

tur, ſine qua non poteſt perfici pietas. Et quia in colligatione membrorum inter ſe, potiſſima ratio habetur ſacerdotum: ideo Eccleſia agnovit 7. Sacramenta, quæ uſum illuſtrem ſacerdotum requirunt. Ut inde appareat quod docet *Cyprianus* lib. 7. Epiſt. 9. *Chriſtianorum Eccleſiam eſſe plebem ſacerdoti adunatam, & gregem paſtori adhærentem,* ſeu per Sacramenta colligatam, ut cum *Auguſt.* loquar. Unde *Cypr.* tract. de ſimpl. Prælat. commendat *Sacramentum unitatis Eccleſiæ,* & *Sacramentum veſtis inconſutilis Chriſti.* Ac propterea Eccleſiæ typus, domus Rahab, Paſcha, Columba, quia *columbæ volatibus invicem cohærent, communi converſatione vitam degunt, oris oſculo pacis concordiam agnoſcunt, legem circa omnia unanimitatis implent.* Unde *Cypr.* l. 1. Epiſt. 4. Ubi loquens de Hæreticis excluſis à Sacramentis & communione Eccleſiaſtica, ait, *omnes ad peccatum conſtringi qui profani ſacerdotis ſacrificio contaminentur: à peccatore Præpoſito ſeparare ſe debent, nec ſe ad ſacrificia ejus miſcere.* Ergo verum ſit quod ingenue fatetur *Caſſander* art. 13. Conſult. *apud paulo vetuſtiores, inter Sacramenta proprie dicta, nunc duo Sacramenta poni, nunc tria* (ut ſit ab *Auguſt.* lib. 19. contra Fauſt. c. 14. ubi ſignum Chriſti adnumerat Baptiſmo & Euchariſtiæ) *nunc*

quatuor

quatuor; quod aperte ſit à Rhabano lib. de inſtitutione clericorum; adeo ut reliqua Sacramenta nullo certo numero ab illis antiquioribus ſcriptoribus comprehenſa legamus. Nec temere quenquam reperias ante Petrum Lombardum, qui certum aliquem & definitum Sacramentorum numerum ſtatuerit. Tamen cum jam aliquot ſeculis, præſertim apud Latinos hæc ſententia recepta ſit, quæ Sacramenta Eccleſiaſtica ad hunc ſeptenarium numerum in ſcripturis divinis celebrem redegit, merito ejus rei cauſa contendendum non erit: præſertim cum reliqua illæ actiones ſacræ, quæ hiis præcipue Sacramentis annumerantur, & de divinis literis teſtimonia habeant, & à veteribus Sacramenti nomine peculiari quadam ratione ornata legantur. Quæ omnia à fortiori locum habeant, quandoquidem præter communem conſenſum Eccleſiæ Latinæ, Orientalis Eccleſiæ ad ſtipulatio nobis adſit; quæ duæ conſpirantes, non modo probabilem, ſed & obſervatu neceſſarium hunc numerum Catholicis proferunt. Cenſura igitur Orientalis, authoritate publica edita à *Hieremia* Patriarcha c. 7. ſic ſe habet, *in Catholica & Orthodoxa Eccleſia ſeptem divina Sacramenta & ritus ſunt.*

SECTIO

SECTIO VII.

De Baptiſmo, Euchariſtia, Miſſa, & precibus in lingua vulgari.

CRedi debet ex [a] ſcripturis Pœdobaptiſmus, per quem regnum cœlorum ad infantes pertinet. Baptiſmus enim, ut ante ex *Auguſt.* docui, *eſt verbum fidei quo per Eccleſiam mundantur.*

[b] De Euchariſtia pronunciari debet, quod ſcribit ven. *Rupertus* Abbas in cap. 6. Johannis lib. 6. comment. *Timenda eſt illa maledictio (Apoc. 22.) ut non detrahamus vel apponamus quicquam verbis dicentis, Hoc eſt corpus meum quod pro vobis tradetur, Hic eſt ſanguis meus, novi Teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum: cum enim illo dicente, Hoc eſt corpus meum, nos apoſuerimus ſubauditionem, dicentes figurativum vel per ſimilitudinem dictum, cum inquam illo dicente, hoc eſt corpus, nos dixerimus hoc ſignificat corpus, nonne multum eſt, quod apponimus, vel prava diminutione detrahimus, & ſenſum*

genera-

generamus, quem tantus author Deus & homo nusquam locutus est, nec ascendit unquam in cor ejus? Cum objicit quis quod itidem dixerit eadem veritas, Ego sum vitis Jo. 15. tam audacter quam imperite in argumentum mendosum illud attrahit, cum statim sequentia verba dicentis, sicut palmes non potest fructum ferre à seipso, nisi manserit in vite; sic nec vos, nisi in me manseritis; manifeste per similitudinem dictum compellunt intelligi, præsertim cum non signanter dixerit ego sum hac vitis, sicut signanter dixit, Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus, appositâ protinus descriptione veræ proprietatis; de corpore inquiens quod pro vobis tradetur: de sanguine autem qui pro multis effundetur. Igitur ne veniant super nos plaga novissima, neque apponamus neque diminuamus quicquam divinæ definitioni vel descriptioni, quam verbum incarnatum ore proprio depromsit. Imo quia perfecta caritas foras mittit timorem, non tam plagarum timore, quam veritatis amore confitemur, quia panis iste corporeus, postquam signaverit eum Pater, & vinum hoc expressum acinis præsentibus, mox ut eodem signo signatum est per manus Ecclesiæ dicentis, ut nobis corpus & sanguis fiat dilectissimi filii tui Domini nostri Jesu Christi, &c. usque in mei memoriam facietis: corpus & sanguis ejus fit qui hujus eruditionis author est: & hoc

sacrificium ipse Christus est, cujus passione, ut sacrificium fieret, à Deo Patre in veritate signatum est.

[c] Assertio transubstantiationis, seu mutationis substantialis panis, licet sit opinio communior, non tamen est fides Ecclesiæ: & scripturæ & Patres docentes μεταποίησιν, sufficienter exponi possunt de admiranda & supernaturali mutatione panis, per præsentiam corporis Christi ei accedentem, sine substantialis panis desitione.

[d] Communio sub utraque specie, scripturis, patribus & universalis Ecclesiæ antiquæ consuetudini est conformior: ac per se loquendo à jure divino præscribitur; & idem est dicendum de [e] communione adstantium Missæ: esto, per accidens potest fieri, ut & presbyter solus & plebs sub una tantum specie communicent.

[f] Scripturis magis consonat, ut Epistola, Evangelium, & preces publicæ in Missa & officio divino, quæ spectant ad doctrinam & ædificationem, legantur in lingua vulgari, quam plebs intelligit. At vero quæ sacerdos secrete profert in Canone ad sanctificationem elementorum, & sacramentorum ἐπιφορὰν pertinent, permanere possunt in Latina, aut alia consueta lingua quam Sacerdos novit.

[g] Cum

[g] Cum unicum ſit ſacrificium crucis proprie dictum efficax & ſempiternum, in Miſſa non fit nova iteratio ſacrificii alterius proprie dicti: rite tamen in Miſſa dicitur à SS. patribus (S. *Auguſt.* de civit. Dei l. 10. c. 6. *Greg.* Dialog. l. 4. c. 59. *Juſtin.* Apol. 2.) offerri & ſacrificari corpus Chriſti; primo eo ſenſu, quo aſſerunt Eccleſiam offerre in Miſſa ſemetipſam & preces. Secundo quia in Miſſa [h] repræſentatur & commemoratur ſacrificium crucis & paſſionis Chriſti, nuncupatur ſacrificium commemorativum. Tertio capiendo ſacrificium paſſive pro [i] ſacrificato noviter applicato nobis, aſſeritur rite ſacrificium Miſſæ; quia in ea continetur corpus Chriſti, quod fuit vere ſacrificatum in unico illo ſacrificio crucis, quo alia omnia ſacrificia conſummavit.

Paralipomena ad Sect. 7.

[a] Aſſerunt Pædobaptiſmum; eumque ex ſcripturis ſolide & nervoſe deducunt ſequentes Patres. *Irenæus* contra hæreſ. lib. 2. c. 39. *Tertull.* de Anima c. 39. ſecundum Pamel. edit. *Origen.* in c. 6. Epiſt. ad Rom. lib. 5. Idem in Luc. hom. 14. & in Levit. hom. 8. *Dionyſ.* de Eccleſiaſtica Hierarchia. *Cypr.* l. 3. Epiſt. 8. *Greg. Nazian.* in ſan-

ctum lavacrum Orat. 3. *Chryſoſt.* hom. ad Neophytos de Baptizatis. & hom. 40. in Geneſ. & in Pſal. 14. & hom. de Adam & Eva. *Ambroſ.* l. 10. Epiſt. 48. ad Demetriadem virg. Item in Lucam. *Hieron.* ad Lætam de inſtit. filiæ. Item l. 3. adv. Pelag. *Auguſt.* de Baptiſt. contra Donatiſt. lib. 4. c. 23. & de verbis Apoſtoli. Serm. 14. & Epiſt. 89. Enchirid. c. 42. & 43. *Proſper* de vocat. gent. l. 2. c. 4. *Auguſt.* de Geneſ. ad literam l. 10. c. 23. ſibi alibi diſſentiens, ait, *conſuetudinem baptizandi parvulos non omnino credendam, niſi Apoſtolica eſſet traditio.* Concil. *Carthag.* Conc. *Milevitanum.* *Theodoret.* in Epitome divinorum decretorum. cap. 18. *Leo* Papa ad Epiſcopum Aquilienſem. *Caſſander* in tract. de Bapt. parvul. & *Bellar.* lib. 1. de ſacro bapt. c. 9. confitetur *Pædobaptiſmum colligi ſatis aperte ex ſcripturis*; quas poſt urget c. 8. dicti libri.

[b] Ponenda hic eſt ingenua confeſſio *Calvin.* tractat. de cæn. Domini & *Spalat.* de rep. Eccleſ. lib. 7. c. 11. num. 7. 8. *volui* (inquit *Spalatenſis*) *dum hæc imprimenda parabam, plane ſententiam Calvini cognoſcere: atque hæc qua ſequuntur dicta in ejus opuſculis reperi. Blaſphemia eſt negare in cæna Domini offerri veram Chriſti communicationem.*

Intelligi-

Intelligimus Christum nobis in cœna verum propriamque corporis sui substantiam nobis donare. Zuinglius & Oecolampadius debuerunt adjungere ita signa esse, ut nihilominus veritas cum eis conjuncta sit. Fatemur omnes nos substantiæ sanguinis & corporis vere fieri participes; quomodo id fiat alii aliis melius definire & clarius explicare possunt. Cogitare debemus id fieri occulta & mirabili Dei virtute. Sic ille. *Spalatensis* subjungit, *Omnes igitur & Pontificii, & Lutheri, & Calvini discreti sectatores in eo convenimus, circa sacratissimum Eucharistiæ sacramentum: nobis in eo verum & reale Christi corpus vere & realiter exhiberi. Cur ergo in hoc non sistimus omnes? cur hic terminum dissentionum non collocamus? cur ad modum ineffabilem, mirabilem & occultum, nobisque penitus ignotum, & quem Christus ipse nos latere voluit, tam audacter descendimus, ut qui cum nostra insipientia non desipiat, eum à caritate & communione religiosa & Catholica excludamus?* Hic est tam atrocis & periculosæ dissentionis facillimus modus sopiendæ, ut omnes veritatem corporis Christi in Eucharistia exhiberi uno ore fateamur: & circa modum quo fiat hæc exhibitio, quippe ineffabilem & inexplicabilem, nobis omnibus silentium perpetuum indicamus; & ex hac dissentione schismata coalita extinguamus. Interim,

cum

cum bona venia & *Calvini* & *Spalatenſis*, non eſt additio ad ſenſum apertum verborum Chriſti (ut ibi docent locis citatis) dicere corpus Chriſti eſſe in Euchariſtia, cum ſubſtantia panis permanentis aut tranſeuntis. Panis eſt inſtar indumenti quo corpus Chriſti veſtitur in Euchariſtia: ſicut ergo demonſtrando veſtes ſub quibus eſt Petrus, licet dicere, hoc eſt Petrus, & ſenſus hujus dictionis ſic determinatæ, per deſignationem eſt, Petrum ibi eſſe cum veſtibus. Ita oſtendendo manibus panem & dicendo. Hoc eſt corpus meum, ſenſus dicti eſt, corpus Chriſti eſt ibi cum pane vel permanente vel tranſeunte uno vel alio modo: & per conſequens non eſt Idololatria adorare Chriſtum ibi in Euchariſtia realiter exiſtentem. Quare accipio confeſſionem *Spalatenſis*, noloque pacis ergo, quicquam addi ad verba Chriſti, non contentum in eis aperte: non continetur autem in verbis Chriſti ſubſtantiam panis deſinere adveniente corpore Chriſti ad panem: ac propterea litigandum non eſt ea de re, cum iis qui admittunt realem corporis Chriſti præſentiam in ſacramento: Ita ut corpus Chriſti in pane intret in os, & manducetur non ſolum ſpiritualiter fide cordis, ſed etiam ſacramentaliter fide oris; juxta id *Auguſtini* contra adverſ. legis & Prophet.

phet. l. 2. c. 9. qui ait nos in *Eucharistia Jesum fideli corde & ore suscipere*: exterior enim actus manducationis est confessio oris publica, fidei quam habemus de præsentia Christi in hoc Augustissimo mysterio; ac adeo est actus fidei oralis & plusquam mentalis.

[c] *Missam* illam in augustissimo sacramento factam plerique graves & antiqui scriptores ita explicant, ut non fiat per desitionem substantiæ panis, sed per receptionem supernaturalem substantiæ corporis Christi in substantiam panis. *Justin.* Mart. Apolog. 2. ad fin. *cibum consecratum* vocat non solum Christi *carnem & sanguinem*, sed *etiam cibum quo sanguis carnesque nostræ aluntur*. *Iren.* lib. 4. c. 34. docet *corpora nostra ali & augeri corpore & sanguine Christi*, quod intelligi nequit nisi ratione elementorum, quibus illa vestiuntur in Eucharistia. & lib. 4. c. 34. ait, Eucharistiam *duabus rebus constare, terrena & cælesti*; *& per hoc* declarat *panem terrenum cum perceperis vocationem Dei, non esse communem panem, sed Eucharistiam*: in qua nempe constanter permanet substantia panis, & substantia cælestis corporis Christi. *Clem.* Pædagog. l. 2. c. 2. asserit, *vinum in calice fuisse quod Dominus consecravit*; accidentia autem vini non sunt vinum, loquitur autem de vino quod Christus bibit è calice

lice post consecrationem. Quia probat exemplo Christi in Eucharistiæ institutione licere vinum bibere. *Tertull.* lib. 1. contra Marc. c. 14. ait, *panē corpus suum repræsentavit.* Lib. adversus Judæos c. 10. *panem corpus suum appellat.* Idem habet lib. 3. contra Marc. c. 19. & l. 4. contra eundem c. 40. *sanguinis vetus figura in vino,* id est sacramentum veteris & novum veteri respondens in vino: & lib. 5. contra Marc. c. 8. *panis & vinum sunt corpus & sanguis. Orig.* Dial. 3. de Christo homine, *panem & poculum ministravit,* & contra Celsi. l. 8. *oblatos panes edimus. Theophilus* Alexan. Epist. 1. Paschal. *pane Dominico Salvatoris corpus ostenditur*: item, *panis ille qui frangitur, inanimis est. Cypr.* l. 2. Epist. 3. loquens de calice a Christo benedicto, vocat *creaturam vitis. Invenimus vinum fuisse, quod sanguinem suum dixit. Vino calicis Christi sanguis ostenditur. Euseb.* de demonst. Evangel. lib. 5. c. 3. *Sacerdotes spirituale sacerdotis munus obeunt vino & pane, & corporis illius, & salutaris sanguinis mysteria repræsentant. Hilar.* apud *Gratian.* de consec. dist. 2. c. 27. loquens de corpore Christi quod sumitur de altare; *panis & vinum extra videtur, id est, vere. Nam in ea veritate consistit figura corporis & sanguinis, qua in veritate intus credatur ex illius figura significatione.*

Cyril-

Cyrillus Hierosolymitanus Catech. 3. Mystagog. negat panem post sancti spiritus invocationem, esse amplius *panem communem*, & loquitur de eo sicut de oleo chrismatis consecrato quod manet; & Catech. 4. Mystagog. negat *panem & vinum post sanctificationem esse panem nudum & vinum nudum*. *Ambros.* de sacram. l. 4. c. 4. ait *in sacramento Eucharistiæ sermonem Domini esse operatorium, ut sint quæ erant, & in aliud commutentur*; & eodem modo loquitur de pane consecrato, ac de homine baptizato, ibid. *Tu ipse eras, sed eras vetus creatura; postea quam consecratus es* (in Baptismate) *nova creatura esse cæpisti*. & de sacr. l. 6. c. 1. *In similitudine quidem accipis sacramentum, sed vera natura gratiam virtutemque consequeris*. *Nyssenus* de S. Baptismo, discurrit eodem modo de mutatione aquæ in Baptismo, altaris in consecratione, hominis in ordinatione sacra, & mutatione panis in Eucharistia. *Victor Antiochen.* in c. 14. *Marci*, in *Eucharistia* ponit *panis symbolum*. *Chrys.* serm. in Encæniis, seu de pœnit. serm. 5. tom. 6. *non quod panis sit respicias, neque quod vinum est reputes*. *Aug.* tract. 26. in Joan. ponit sacramentum, & non rem sacramenti, panem & vinum. *Discipuli manducabant panem Dominum, Judas autem panem Domini*. & Epist. 86. compa-

rans vetera sacramenta cum novis, ait, in Eucharistia *panem panis, & sanguinem sanguinis succrevisse*. & Epist. 220. c. 10. *Panis in accipiendo sacramento consumitur*. *Philo Carpathius* in cant. c. 8. *Corpus Christi est sub mystico pane & vino*. *Cyrill. Alex.* in Jo. lib. 4. c. 14. *fragmenta panis dedit dicens, accipite, manducate, hoc est corpus meum*. *Theodoret.* in Dial. 1. Orthodoxi & Eranist. ait Orthodoxus, *qui, quod natura corpus est, tritici & panem appellavit, & vicem rursus seipsum appellavit, is symbola & signa quæ videntur, appellatione corporis & sanguinis honoravit, non naturam quidem mutans, sed naturæ gratiam adjiciens*. Et dial. 2. *neque signa mysticæ post sanctificationem, recedunt a natura sua, manent enim in prima substantia, & figura, & forma, & videri & tangi possunt sicut & prius*. *Gelas.* de duabus natur. Biblioth. SS. pp. tom. 4. in Eucharistia ait, *non desinit substantia vel natura panis & vini*. *Macarius* cap. 16. *agnoscit panis & vini substantiam in Eucharistia*. *Paschasius* de corpore & sanguine Domini in Eucharistia c. 10. alias 28. *In panis substantia jure ministratur hoc mysterium salutis*. Idem dicit c. 17. alias 46. *Nicetas Choniates* Thesaur. l. 4. *Servatur panis & vinum ritu ad salutem humanæ corruptionis*. *Magister*. in lib. 4. dist. 11. *si quæritur quales sit*

con-

conversio, an formalis, an substantialis, an alterius generis, definire non sufficit. Scotus in 4. dist. 11. q. 3. ait, *Transubstantiationem non posse probari ex scripturis evidenter. Scoti* Apolog. edit. Par. 1622. defendit in hac re *Scotum* à censura *Bellarmini*. Author fuit religiosus Franciscanus. *Aliacensis* in 4. sent. q. 6. art. 2. *Modum illo ponens substantiam panis remanere post consecrationem est possibilis, nec repugnat rationi, nec authoritati Biblie; imo est facilior ad intelligendum, & ratiocinabilior.* Aitque *assertum illud, quod substantia panis desinit esse post consecrationem, non sequi evidenter ex scriptura, nec etiam ex determinatione Ecclesiæ*: ait, *tamen esse communem opinionem sanctorum & Doctorum. Ferus* doctus Franciscanus in Matth. 26. *Cum certum sit ibi esse corpus Christi, quid opus est disputare, num panis substantia maneat vel non?*

[d] [e] *Cassander* in consult. art. 22. De administratione sacrosancti sacramenti Eucharistiæ. *Satis compertum est, universalem Christi Ecclesiam in hunc usque diem, Occidentalem vero seu Romanam mille amplius à Christo annis, in solenni præsertim & ordinaria hujus sacramenti dispensatione, utramque panis & vini speciem, omnibus Ecclesiæ Christi membris exhibuisse: id quod ex innumeris veterum scriptorum tam Græcorum quam Latinorum te-*

simoniis manifestum est, atque ut ita facerent inductos fuisse primum instituto exemploque Christi. Consuetudo in altera specie communicandi, cum eam nonnulli ut sacrilegam & nefariam condemnarent, à Concilio Constantiensi & Basiliensi probata & sancita fuit, ita tamen ut Bohemis certis intercedentibus conditionibus & pactis, utriusque speciei usus concessus fuerit: neque tamen hac sanctione communionem utriusque speciei à populo totam sublatam, sed ob certas & graves causas ad tempus intermissam & suspensam voluerunt. Optimi autem quique Catholicæ professionis, in divinorum & Ecclesiasticorum lectione scriptorum versati, Ecclesiasticæ paci & unitati prope necessarium putant, priscum morem communicandi restitui. Et in tract. de sacra communione, probat *mandatum Domini extare de utraque specie recipienda.* At per se loquendo, mandatum Christi servare necesse est; en mandatum Matth. 26. v. 27. *bibite ex hoc omnes*, id est, interprete *Paschasio Ratberto, tam ministri quam reliqui credentes*: & *Chrys.* Hom. 18. in 2 Cor. Quando fruendum est reverendis mysteriis. *Nihil* ait, *differre sacerdotem à subdito cum omnes similiter ut illa participent digni habeantur: omnibus enim corpus unum proponitur, & poculum unum*; idque *pari cunctis conditione*, ait *Theophylact.* in 1 Cor. 11. Idem præcipi in Evan-

Evangelio asserunt. *Orig.* Hom. 16. in num. & *Aug.* l. 3. c. 57. qq. in Levit. *Micrologus* docet ex ordine Romano non esse plenam communionem populi sine utraque specie. *Julius* Papa de consec. dist. 2. c. *Cum omne. Porrectionem calicis Domini complementum communionis* appellat. *Gelasius* Papa de consec. dist. 2. cap. *Comperimus*, jubet eos *qui superstitione aliqua impediti, à calice sacrati cruoris abstinebant, aut integra sacramenta percipere, aut ab integris arceri: quod divisio unius ejusdemque mysterii sine grandi sacrilegio nequeat provenire. Amalar.* lib. 3. de off. c. 24. docet esse *mandatum Dei. Ambros.* in 1 Cor. 11. *Hugo* de S. victore de mysteriis: *Christus utrumque sumi voluit.* Denique *Constantiense* Conc. Sess. 13. *Christum instituisse communionem utriusque speciei*: ac consequenter per se loquendo, est retinenda; & si aliter fit, continget per accidens *ad evitandum pericula & scandala rationabilia*, ut Conc. loquitur ibid. & pari ratione ex dictis concluditur, mandato & instituto Christi, ut per se loquendo, astantes Missæ communicent; quia ubi legitur mandatum *bibendi*, legitur mandatum *hoc facite*; Christus autem dedit discipulis, igitur ita faciendum. Ac cum par sit conditio sacerdotis & subditi in mysteriis, Eucharistia debet dari omnibus præsentibus:

bus: Ita factum in initio Ecclesiæ constat ex *Justino* in Apolog. ad finem. *Cypr.* l. 2. Ep. 3. *Ambros.* de off. l. 3. c. 41. *Chrysost.* in Epist. ad Ephes. hom. 3. *Quomodo manifesti & mensa non es particeps? Hieron.* 1 Cor. 11. *Erasm.* in Epist. ad *Julium Pighium* Episcopum, *sic fuit à Christo institutum, & olim ita consuevit observari. Microlog.* c. 11. *Soli communicantes confectioni sacramentorum antiquitus intererant. Walafridus* c. 22. vocat *legitimam Missam cui interfunt sacerdotes, respondens, offerens, atque communicans.* Et Pontificale Rom. c. de consec. Eccles. *Altare repræsentat Christum qui unicus est, & ideo unicum altare in singularum Ecclesiarum consecrationibus consecrare solitum: eo quod olim omnes ex uno altari communicare soliti erant. Eusebius* lib. 10. c. 4. Templum in urbe Tyro exstructum describens, memorat unicum altare. Hinc *Græci* hodie *unam tantum Missam, eamque anniversariam festis habent*, ait *Postell.* de lingua Serviana. *Æthiopibus non nisi unicum altare. Alvarez* de Æthiop. c. 11. & idem de Moscovitis ait *Sigis. Baro.* Comment. Moscov. Quod tamen per accidens, ob necessitatem, vel gravem utilitatem, vel ad reverentiam mysterii fidei notabilis possunt fieri Missæ, etsi nullus communicet, probant rationes nonnullæ. *Bellarm.* l. 2. de Missa c. 9.

[f] Cer-

[f] Certum est usum linguæ vulgaris & notæ, in lectione scripturarum & publicarum Ecclesiæ orationum, esse omnino conformem ædificationi illi, & intelligentiæ factorum & dictorum in Ecclesia, quam D. *Paulus* 1 Cor. 14. exigit ab Ecclesiasticis potissimum. Deinde constat ex Apol. 2. *Justini* Martyris, lectionem in cœtibus Christianorum primitivorum factam esse, dum convenirent in unum locum, Primo *lectionem*, & Secundo *hortationem, ut ea quæ lecta sunt bona imitentur*; intelligebant ergo lecta. Tertio loco facta est *comprecatio*. Conclusis precibus, *panis, vinum, & aqua offeruntur, quæ unusquisque participat.* ἡ διάδοσις καὶ ἡ μετάληψις ἀπὸ τῶν εὐχαριστηθέντων ἑκάστῳ γίνεται. *Tertull.* in Apolog. c. 39. Finis christianorum cætuum & congregationum, primo ut *Deum, quasi manu facta, precationibus ambiamus orantes*. At manus ambientium, debet precationes intelligere. Secundo ad *divinarum literarum commemorationem, præmonendum & recognoscendum: ad fidem sanctis vocibus pascendum, spem erigendum, fiduciam figendum*. Deinde fit ibi *communicatio orationis & conventus*, & vocat hæc *deposita pietatis*. & l. 2. ad uxorem, loquens de dictis quæ in cœtibus fiebant, ait, *ubi fomenta fidei de scripturarum intellectione?* hi duo testes sufficiunt pro Ecclesia primitiva.

Apud

Apud *Caſſandrum* in Liturgicis cap. 36. citantur plures authores graves, qui intelligebant locum 1. ad Cor. 14. de precibus in divinis officiis: ut *Iſidorus* de Eccleſ. off. l. 1. c. 10. *Eſt lectio non parva audientium ædificatio; cum oratur, oretur ab omnibus. Amalarius* de divin. offic. l. 3. c. 9. *Imperitus audiens quod non intelligit, neſcit finem orationis, & non reſpondet Amen, id verum, ut confirmetur benedictio. Joan. Billet* in ſumma de divin. off. *In primitiva Eccleſia prohibita erat ne quis loquatur linguis, niſi eſſet qui interpretaretur. Pontificale* Romanum de ordinat. Lectoris, requirit ut ſit *aptus pronunciare verba vitæ, & mentis ac vocis diſtinctione populo monſtrare intelligibilia.* & vult *verbo doceri auditores per Lectores. Innocent.* 3. in lib. decret. de off. judic. ord. vult *ſecundum diverſitatem linguarum divina officia celebrari. Aug.* de Catech. rudibus c. 9. *ut populus ad id quod plane intelligit dicat Amen. Æneas Silv.* hiſt. Bohem. c. 13. ait Dum Romæ eſſet conſultatio de facienda re divina in lingua Sclavonica, *auditam vocem de cælo, omnis lingua confiteatur ei. Baron.* tom. 10. annal. ad an. 880. num. 16. uſque ad 20. profert Epiſtolam Joan. pp. ad principem Moraviæ, in qua probat, jure divino, & ex ſacris literis, rem divinam fieri debere in lingua vulgari Sclavonica.

nica. *Neque enim tribus tantum, sed omnibus linguis Dominum laudare auctoritate sacra monemur, quo præcipit dicens Psl. 116. Laudate Dominum omnes gentes: & Apostoli Act. 2. repleti spiritu sancto, locuti sunt omnibus linguis magnalia Dei. Hinc & Paulus cælestis tuba insonat monens, omnis lingua confiteatur &c. De quibus etiam 1 Cor. 14. Satis manifeste nos admonet; quatenus linguis loquentes Ecclesiam Dei ædificemus; nec sana fidei vel doctrinæ aliquid obstat, sive Missas in eadem Sclavonica lingua canere, sive sacrum Evangelium, vel lectiones divinas novi & veteris Testamenti bene translatas & interpretatas legere, aut alia horarum officia omnia psallere. Quoniam qui fecit has linguas principales, Hebraam scilicet, Græcam & Latinam, ipse creavit & alias omnes ad laudem & gloriam suam.* Et licet Papa hortetur eos ut Missam & Evangelium latina lingua legant: tamen *Julian. Aventinus* annalium Boiorum lib. 4. ait, *sacerdotes Liburnia*, suo ævo, *ignaros Romanæ linguæ, sacrificia patrio more*, nempe Sclavorum, *procurare*. Idem *Joan. Bapt. Palat.* Civis Romanus, de ratione scribendi; de Illyricis seu Sclavis. & de Moscovitis scribens *Sigismundus Baro*, ait, eos *sacrum vernacula lingua peragere*. & de Armenis *Petrus Bellonius* lib. 3. c. 12. *Cantant Armenica ut omnes*

ussistentes linguam Armenicam qua utitur sacerdos intelligant. & B. *Rhenanus* apud *Cassand.* cap. 17. Liturgicorum, notat Catechumenos *Tertulliano* dictos Auditores; quia in templo manebant, donec Evangelium expositum esset. Et bene colligit *Cassand.* c. 25. ex Divo *Thoma* 3. part. q. 83. art. 4. *Quæ in Ecclesia leguntur in Missa publice dicenda, esse pro instructione fidelis populi; judiciose enim notat D. Th: quædam à sacerdote dici publice, quæ pertinent ad sacerdotem & populum, sicut sunt orationes communes: quædam pertinent ad solum sacerdotem, scilicet oblatio & consecratio, quæ occulte à sacerdote dicuntur,* & 3. part. sum. q. 78. art. 1. ait, *Christum bis protulisse verba consecrationis, secrete ad consecrandum; secundo manifeste ad instruendum.*

Vide *Justin.* Imp. in nov. 146. constit. 123. ubi jubet *preces dici clara voce, quæ à populo exaudiatur, ut dicat Amen. Juxta id* 1 Cor. 14. *ut alter ædificetur: aliter in horrendo judicio rationem reddent. Paschas.* lib. de Corp. & sangu. vult *consona voce omnes dicere Amen: sicuti omnis Ecclesia in omni gente & lingua confitetur & orat.*

Theo Valdensis in Doct. antiq. Ecclesiæ tit. 4. c. 31. ex 1 Cor. 14. probat, *quod fuerit ratio talis benedicendi in Ecclesia tempore Apostoli, cui respondere solebat non tantum Clerus, sed totus populus*

lus Amen quod non potest fieri ab imperito lingua, quis enim dicit de re quam nescit Amen? id est, verum esse; ut omnia dicta rei testimonio in audientium mentibus confirmentur.

Lyra in 1 Cor. 14. v. 16. *in primitiva Ecclesia, benedictio & cætera communia fiebant in lingua vulgari.*

Preces fieri in lingua vernacula vult *Origen.* contra *Cels.* lib. 8. *Aug.* Epist. 178. & ita fuisse de facto narrat *Hieron.* tom. 1. Epist. 17. *tot psallentium chori quot gentes; Chrys.* hom. 18. in 2 Cor. loquens de communibus precibus, ait eas *fieri à populo: omnes unam dicent orationem.* Unde *Gerard. Lorich.* de Missa, in 4. part. Can. ait manifesto argumento convinci, *requiri in officio Missæ populi adstantis consensum. Consequens ergo, Canonem clare & aperte legendum ut populus consentiens respondeat Amen*: id est, intelligens quid dicatur, aitque ita doceri 1 Cor. 14. v. 16. Cur vero latini sermonis usus mansit in sacris, facile colligi potest: quia, ut *Cambdenus* in Britannia sua notat, Romani semper laborarint ut provinciæ latine loquerentur; quod probat ex *Tacito*, & constat ex *Val. Max.* lib. 2. c. unde mos ille mansit in Romano imperio etiam Catholico: & quidem ex probabili fundamento, quia Romani censuerunt fore æquius, ut subditi se potius

tius dominis, quam vice versa, in sacris conformarent: & cum necesse esset uti lingua ignota aliqua, cum Romani Barbaram, Barbari Romanam ignorarent loquelam; putarunt Romani se posse jure suo, hac in re suo commodo consulere, etiam cum necessario incommodo subditorum suorum. Haec autem ratio post imperium Romanum ablatum à jugis Occidentalium, cùm cesset; consuetudo latini sermonis in sacris, ex causa praesertim magna, ad pacem Catholicam servandum, & lites schismataque tollendum, removeri quadantenus posse videtur.

[g] [h] [i] *Paulus* c. 10. ad Hebr. v. 19. docet esse tantum *unicam oblationem Christi qua sios perfectos reddit*, adeo ut v. 18. *non sit amplius oblatio pro peccato*. Ex eo constat non esse iterationem seu novitatem secundi sacrificii in Missa: quare Patres qui docent in Missa peragi sacrificium de novo, debent exponi uno ex modis relatis in sect. 7. quod pulcre docet *Cassand.* in consult. de sacrificio art. 23. ubi ait, *manifestum est veterem illam Ecclesiam ita semper sensisse. Corpus & sanguinem Christi semel in cruce esse oblata.* & sect. de iteratione, ait *in Ecclesia non esse sacrificii iterationem, sed unius sacrificii in cruce oblati commemorationem: ita tamen ut Eucharistia possit dici etiam victima seu sacrificium*

um aliquo vero sensu: quod, ut ait in sect. de sacrificio, *unici illius sacrificii perpetuam victimam in cælis ad dextram patris assistentem, in sacra mensa præsentem habemus.* Dici etiam potest esse in Eucharistia spirituale sacrificium; eo quod per victimam in sacra mensa præsentem, Deo patri supplicatur, ut virtutem & gratiam hujus perennis victimæ, Ecclesiæ suæ ad omnes corporis & animæ necessitates efficacem & salutarem esse velit. Et in hoc sensu admittitur hic incruentum sacrificium, & per hoc satisfit omnibus patribus adductis à *Bellarm.* lib. 1. de Missa c. 15. pro iteratione sacrificii veri.

SECTIO

SECTIO VIII.

De Pœnitentia, Confessione, & Satisfactione.

OPtandum esset ut rediret illa aurea secula, in quibus nemo publice & scandalose offendens Ecclesiam suo peccato, admitteretur ad sacramenta donec Ecclesiæ offensæ, per veram pœnitentiam satisfieret canonice & legitime. Fructuose & utiliter in Ecclesia continuatur privata particularium omnium graviorum peccatorum confessio, etsi non [a] constet adhuc an jure divino debeat fieri. Cum stando in lege Christi præcise pronuntiari potest, in plurimorum Catholicorum sententia absolutus coram Deo: & admitti ad communicandum (nisi ulterius satisfieri debeat disciplinæ Ecclesiasticæ) qui manifestis indiciis probat se habere veram fidem & caritatem, etsi ne verbum propalet de numero & gravitate peccatorum suorum.

Parali-

Paralipomena ad Sect. 8.

[a] Concilium Tridentinum, seſſ. 14. c. 1. tradit *pœnitentiam inſtitutam Joan. 20. quo loco ſacerdotes facti ſunt judices ad pronuntiandum de peccatis ſigillatim, & in ſpecie:* at hinc non poſſe concludi jure divino inſtitutum, omnia peccata debere Confeſſario numerari, præſcindendo ab Eccleſiæ præcepto, conſtat ex uſu Eccleſiæ Græcæ, etiam tunc cum perſtitit in communione cum Romana. *Nos enim Deo ſolummodo debere confiteri peccata, dicunt Græci*; Catholici nimirum; de quibus ita loquitur, *Theodori* Archiepiſcopi Cantuarienſis (Græci etiam) pœnitentiale, è quo *Gratianus* ait, ſe illa verba ſcribere. Cauſa 33. q. 3. de pœnit. diſt. 1. c. 90. quod incipit, *quidam Deo.* Hæcque Græcorum eſt ſententia uſque ad hodiernum diem, ut patet ex cenſura Orientali c. 11. non procul ab initio. *Quæ per animi pudorem confiteri prætermiſerint, precamur pium & miſericordem Deum, ut & hæc ipſa ſimul cum cæteris, illis condonare velit; confidimuſque eos talium etiam à Deo veniam conſecuturos.* Et in concil. Florent. Græci notorie perſiſtentes in hac ſententia, admiſſi ſunt nihilominus ab *Eugenio* 4. ad Latinæ Eccleſiæ communionem. Imo *Panormita-*

mitanus ait, *confessionem ab Ecclesia institutam, & Græcos ea non utentes, non peccare; quia apud eos non emanavit.* Constit. de Pœnit. & Remiss. c. *Omnis utriusque sexus. Scotus* in 4. sent. dist. 17. q. 1. ait, *Confessionem Ecclesiæ promulgatam per Apostolos absque omni scriptura. Gloss.* in, de pœnit. dist. 5. c. 1. in initio ait, *melius dici eam institutam à quadam universali Ecclesiæ traditione, potius quam auctoritate divina. Gratian.* dist. 1. q. 3. cap. 89. quamvis, liberum relinquit cuivis judicio, cui horum potius adhærendum sit; *utraque enim sententia, & quæ ait confessionem ab Ecclesia institutam tantum, & quæ ait jure divino nos ad eam obligari, fautores habet sapientes & religiosos viros.* Imo & tandem resolvit *nos posse ore tacente veniam consequi*: quod cap. (quis aliquando) ait, *evidentissime datur intelligi.*

Suarez tom. 4. disp. 23. sect. 1. num. 3. ait *Durandum* dist. 17. 4. 15. *judicare necessitatem integritatis confessionis, non posse sufficienti ratione colligi ex institutione ejus.* Et idem sentit *Medina* Cod. de Confess. qu. 8. Ex quo affero, juxta doctrinam sect. 1. sequitur probabile esse, *Confessionem, non esse juris divini, quod totum continetur in Evangelio.* Et B. *Rhenanus* arg. in Tertull. de pœnit. ait, *Inter juris pontificii scriptores, & quosdam non incelebres, qui institutam ab Ecclesia confessionem*

putant

putam, quia conscientiam sacerdoti detegimus usque ad circumstantiarum omnium minutias. Quod & *Cajetanus* in 20. Jo. tenet & *Erasmus* in lib. de Theolog.

Antiqui Patres etiam, *Cyril. Alex.* lib. 12. in Joan. *Rupertus Tuitensis*, & alii intelligunt locum illum ex quo stabilitur jure Evangelico confessio, de remissione peccatorum, medio Baptismo, & pœnitentia fori externi; in quo *Paulus* 1 Cor. 5. v. 3. *Existens absens corpore*: primo ligavit fornicarium, & postea ei indulsit. *Tertull.* etiam *Cypriani* magister describit pœnitentiam tantum esse rem fori externi; lib. de pœnit. c. 6. loquens de pœnit. ante Baptismum, *tunc, opinor, expendatos liquebit eum absolvimur Pœnitentia secunda jam semel, sed amplius nunquam, quia proxime frustra.* & c. 9. hæc pœnitentia *secunda & una* commendatur describiturque *exomologesis ut sit prosternendi & humilificandi hominis disciplina, conversationem injungens misericordiæ illicem*, & c. 12. ait, *Babylonium regem exomologesin operatum, & exomologesi in paradisum suum restitutum*, & de orat. Dom. c. 9. *exomologesim ait esse debitorum indeprecationem.* Et lib. de Bapt. c. 20. ab ingressuris Baptismum postulat *confessionem omnium retro delictorum.* & lib. de Jejuniis c. 12. ait, *Catholicos non delicta immissa, sed jejuniis eliminentur.* & lib.

de pudicit. ait c. 21. *esse solum Dei condonare delicta*, aitque (in quo tamen errat) *Apostolos dimisisse peccata non ex disciplina, sed potestate simili illi qua mortuos resuscitarunt; Presbyteros autem disciplinæ solius officia sortiri.* Demum asserit *Baptismum esse in quo solvuntur alligata delicta, & alligantur non soluta.*

Tertullianum imitatus est *Cyprianus* lib. 1. Ep. 2. Dicit quod pax data pœnitentibus, qua admittantur ad Eucharistiam & communicationem in morte, est actus potestatis datæ verbis illis (*Quæcunque alligaveritis*) & lib. 1. Epist. 3. testatur plebem cognovisse de causa eorum qui cum pœnitentia veniebant ad Ecclesiam *Quorum causas* &c. Porro *Cyprianus* ut ostendat suam misericordiam, ait se *non pleno judicio religionis examinare, Remitto omnia, multaque dissimulo.* Quæ omnia intelligi nequeunt nisi de causis in foro externo, loquitur autem de revertentibus cum pœnitentia, & peccatum suum satisfactione humili confitentibus. & lib. 3. Epist. 5. invehitur in Confessarios, quod reos *sine ullo discrimine atque examine singulorum, admitterent ad pacem*, vultque exomologesin prius fieri, eaque de re legem fert, quam tamen non putavit necessario adhibendam, ut constat ex lib. 3. Epist. 8. ubi irascitur *Therapio* quod *Victori* Presbytero pacem dederit contra

tra dictam legem, *sine conscientia plebis. Pacem tamen quomodocunque à sacerdote Dei semel datam, non putavimus auferendam: ac per hoc Victori communicationem sibi traditam usurpare permisimus.* Vide de ea lege, *Cypriani*, plura lib. 3. Epist. 14. ubi narrat *sine exomologesi Eucharistiam datam.* Epist. 15. modus dandi pacem erat. *communicet illi.* Epist. 16. ad plebem de petentibus pacem ait, *examinabuntur singula præsentibus & judicantibus vobis.* & Epist. 17. *fit exomologesis apud Diaconum.* Epist. 18. *Exomologesis est res disciplinæ disponenda concilii communis religione, astante plebe.* Epist. 19. lib. 3. pacem dare, ait, *rem esse quæ omnium sententiam spectet presbyterorum, & Diaconorum.* Et lib. 4. Ep. 2. De danda pace fit collatio conciliorum coram laicis, apud quos lapsorum tractatur ratio. Serm. de lapsis. *Daniel fecit exomologesin.* Et ad *Pompeium* in fine, ait, *spiritum sanctum non dari per pœnitentiam seu manus impositionem, sed in Baptismo*; ergo confessio, & remissio peccatorum prærequisita ab Ecclesiæ ministris ante communionem, est res fori externi secundum *Cyprianum.*

Chrysost. apertus est pro hac sententia hom. 31. Epist. ad Hebræos. *Sufficit confiteri Deo, si non lingua saltem memoria.* Et hom. de pœnit. & confess. *Solus te Deus confitentem videat.* Et de

pœnit. hom. 8. vult *hominem se probare intus in conscientia, absente nemine præter eum qui cuncta videt, Deum, & se sacram attingere mensam.* In 1. Cor. hom. 28. *non jussit alteri alterum probare, sed sibi ipsum.*

Cassianus Chrysostomi Discipulus collat. 20. c. 8. vult *verecundos confiteri illi, quem latere non possunt peccata.*

Laurentius Novariensis qui paulo post *Chrysostomi* seculum vixit, hom. 1. de pœnit. *ex illa die illaque hora qua egressus es de lavacro, ipse tibi es fons jugis, & diuturna remissio; non opus habes doctore, non dextra sacerdotis. Exinde ipsum statuit tibi judicem & arbitrum. Et quia non poterat communis esse à nexu post Baptismum, remedium tuum in ipso statuit, remissionem in arbitrio tuo statuit, ut non quæreres sacerdotem, cum necessitas flagitaverit, sed ipse errorem tuum intra te emendes. Remissio in tuo est lacrymarum. Noli jam quærere, neque Johannem, neque Jordanem, ipse tibi esto Baptista. Flevit iterum oculus, ablata est culpa, absoluta est anima.*

Constat etiam apertissime ex *Socrate* lib. 5. c. 19. primo in Ecclesia Constantinopolitana, & pene in omnibus Ecclesiis: Theatralem confessionem & publicam fuisse, sublato uno sacerdote cui privatim confiterentur. At vero quia mulier quædam post confessa pec-

cata

cata sua Constantinopolitano Pœnitentiario, προβαίνουσα pergens non in confessione (ut *Bellar.* lib. 3. de pœnit. c. 14. secutus interpretem *Socratis* putat) sed in satisfactione injuncta adimplenda; dixerat privatim nonnullis ex muliebri loquacitate, pœnitentiam illam injunctam fuisse, quod dormierit cum Diacono, confessio privata ablata est, & relictum unicuiq; τῷ ἰδίῳ συνείδοτι μυστηρίων μετέχειν, ita ut alter alterius peccata minime coarguat. Et ait fidem consubstantialis tenentes, cum *Novatianis* Presbyterum pœnitentiarum rejecisse. Ita *Socrates* ait Presbyterum illum semotum fuisse ἐχέμυθον i. e. taciturnitate Pythagorica præditum, ut *Gell.* lib. 1. cap. 9. interpretatur, aitque hoc ab eo tempore in Orientalibus Ecclesiis mansisse κρατοῦν i. e. obtinuit mos ille non confitendi secreto; etsi in Ecclesiis Romanorum Presbyter retentus fuerit, qui secretis confessionibus præesset. Nam ex S. *Leone*, *Sozomeno* æquali ut eum vocat *Bellar.* loco supra citato constat Ep. 80. *In Ecclesia Romana consuetudinem confitendi publice judicatam fuisse improbabilem, sufficereque reatum conscientiarum solis sacerdotibus judicari confessione secreta.*

Hic mos retentus fuit in Ecclesia Romana, explosus in Constantinopolitana, & Græcis Ecclesiis, ac adeo S. Patres illi judicarunt confessio-

fessionem non esse juris divini. Quin & in Ecclesia Romana non fuit creditum sacerdotem Pœnitentiarium debere absolvere judicialiter in foro conscientiæ à reatu. Nam Epist. 80. *Leonis* citata, dicitur in Ecclesia Romana factam fuisse confessionem, *ut sacerdos pro delictis pœnitentium precator accedat.* Et Serm. 5. de Quadragesf. *de benignitate supplicis, sententia pendeat judicantis.* Serm. 3. de Jejun. 7. mens. *plenissima peccatorum obtinetur abolitio, quando totius Ecclesiæ una est vox & una confessio. Quid negabitur multorum millium plebi unam observantiam pariter exequenti, & per unum spiritum concorditer supplicanti?* & Epist. 91. *reconciliationem per quam ad communionem sacramentorum admitterentur, ut per januam, factam,* ait, *supplicationibus sacerdotum. Peccatoris reatus sacerdotali supplicatione solvitur. Indulgentia nisi supplicationibus sacerdotum nequit obtineri.* Et in ordine Romano veteri impres. colon. 1568. pag. 52. 53. & deinceps, absolutio pœnitentium non est judicialis sed deprecativa. Deinde necessitas pœnitentiam agendi, videtur tantum laicis imposita: ac non fuisse consequenter de jure divino quod obligat cunctos. *Leo* Epist. 92. c. 2. ait, *alienum à consuetudine Ecclesiastica ut Presbyteri & Diaconi pro crimine aliquo per manus impositionem remedium*

acci-

accipiant panitendi, quod sine dubio ex Apostolica traditione descendit, secundum quod scriptum est 1 Reg. 2. Sacerdos si peccaverit quis orabit pro eo? Deinde nec omnibus Laicis permissa fuit pœnitentiæ solennitas juxta præscriptum fori externi; quia Epist. 91. c. 10. *Contrarium est Ecclesiasticis regulis*, ait *Leo post panitentiæ actionem redire ad militiam secularem*, & tamen c. 12. vocat *innocentem militiam*: & c. 11. *copulam uxoris* alias rem licitam vocat *rem venialem*, post gestam pœnitentiam. Unde non mala videtur B. *Rhenani* conjectura, in *Tertull.* de pœnit. *etiam in Romana Ecclesia clancularium confessionem natam ex exomologesi per ultroneam hominum pietatem, ubi opus erat sacerdotem in consilium adhiberi, præsertim Laicis.* Quin & *Augustinus* apud *Gratianum* de consecr. dist. 4. c. sanctum, *Miraculo confirmatam* ait, *reconciliationem panitenti datam à Catechumeno, recens in navi à pœnitente baptizato.* Et *Aug.* in Enchirid. c. 65. ait *tempora pœnitentiæ ab his qui præsunt Ecclesiæ recte constitui ut fiat satisfactio Ecclesiæ, ad conservandum disciplinam, puritatem & sanctimoniam, & ad frænandum eos qui desultorie peccant.* Et *Aug.* hom. 50. c. 3. impress. Paris. 1506. loquens de peccatis quæ à Christi complexibus nos separant, nisi medicamento quotidianæ pœnitentiæ

tentim deterrentur ait, *quod si falsum est, unde quotidie tundimur pectora? quod nos quoque Antistites, ad altare assistentes cum omnibus facimus.* Ubi insinuat confessionem generalem ad altare fieri consuetam, esse pœnitentiam quotidianam.

Videtur ergo confessionem sacramentalem, apud veteres plerosque, aut fuisse generalem de peccatis non scandalosis; aut ad satisfaciendum disciplinæ Ecclesiasticæ, de gravioribus & lethalibus publicis offensis.

SECTIO

SECTIO IX.

De Purgatorio, & Indulgentiis.

DE Indulgentiis rite tradit *Cassander* in consult. art. 12. sect. de Indulgentiis, *ea ortus ex ritu* [a] *Canonicarum panarum, quæ publicè pœnitentibus ad certi temporis præscriptum imponebantur; eo quod fas erat Episcopis animadversa diligentia, vel imporentia, vel infirmitate panitentis; humanius & mitius cum illo agere, & de tempore illo & rigore panarum aliquid detrahere & diminuere; quæ panarum Canonicarum relaxatio, Indulgentia dicebatur.* At hodie cum nimis relaxatus sit rigor Canonum, Indulgentiis opus non est, nam vix unius prisci Canonis prisca severitas urgetur.

[b] Cum in hac vita nemo peccato carere potest, & pœna ei debita; fatendum est neminem posse habere in hac vita vestem nuptialem per quamcunque plenariam indulgentiam, qua sine culpa & pœna exhibeatur purus cælesti convivio.

Quinetiam quod merita & sanguis Christi quibus purgamur & justificamur à pec-

catis, & absolvimur à pœnis eorum, possunt nobis applicari per aliud quam per actum internum aut externum fidei aut sacramentorum, à quibus tota perfectio legis & salus nostra dependet; videtur esse contra *Paulum* ad Rom. 4. v. 5, 6, 7, 8, 9. & cap. 10. v. 4, 9, 13.

Et quia pie in domino morientes sunt beati, & requiescunt à laboribus suis & ærumnis hujus vitæ, non videtur asserendum purgatorium ullum punitorium, in quo pii post obitum ignis Gehennalis pœnas patiantur, ad quas transeuntes non abeunt à laboribus hujus vitæ ad quietem, sed à quiete ad summos labores. Cum tamen libri Maccabæorum approbati in Can. 84. Apostolico, recepto in 6. synod. can. 2. orationem pro defunctis commendent, & praxis universalis Ecclesiæ in omnibus liturgiis eam retineat, & præstantissimi patrum censeant orari posse pro existentibus in cœlis (non clare videntibus secundum suum videre Deum) sufficit cum viris doctis asserere Purgatorium [d] expiatorium, in quo sine tormentis Gehennalibus magis magisque usque ad diem visionis Dei [e] claræ, fruentes consortio humanitatis Christi & sanctorum, perficiunt se in Dei caritate per fervida & amorosa suspiria.

Parali-

Paralipomena ad Sect. 9.

[a] Hanc ſententiam aperte defendit in plena facie Eccleſiæ ante 150. annos *Weſſelius* Groningenſis, in diſputatione de Indulgentiis: quam hac in re ſecutus eſt *Maldonatus*, ut apparet ex Manuſcripto de Indulgentiis, & *Bellar.* lib. 2. de Indulg. cap. 10. ait, *rationibus convictum fuiſſe Cajetanum ut diceret, per indulgentias quæ ſunt in uſu Eccleſiæ, ſolum remitti pœnitentias per miniſtros Eccleſiæ impoſitas; non vero pœnas ipſas in judicio Dei debitas*; & cap. 17. agnoſcit *Durandum*, *Antoninum*, *Roſſenſem* fateri, *indulgentias veteribus fuiſſe incognitas*: additque, *non ideo non ſunt antiquæ, quia duo vel tres Catholici non legerunt eas in libris veterum.*

Suarez tom. 4. in D. *Thom.* diſp. 49. ſect. 2. num. 14. ait, *Nec movere debet quenquam, quod apud antiquos Doctores Eccleſiæ, Græcos & Latinos, Auguſt. Chryſoſt.* &c. *nulla inveniatur expreſſa mentio Indulgentiarum.* Et ad illa loca Concilii Nicæni cap. 11. & Ancyrani can. 4. ex quibus *Bellar.* lib. 2. de Indulgentiis. cap. 6. putat probare clariſſime indulgentias dari; *Suarez* loco citato ſect. 2. ait, *In his Canonibus ſolum legimus ſemper licuiſſe Epiſcopis ex Canonicis pœnitentiis publicis, quæ pro*

criminibus imponi solebant, aliquid peccatoribus & pœnitentibus remittere, si eorum vita & laudabilis conversatio id mereri viderentur. Quod autem illa remissio se extenderet usque ad ablationem vel diminutionem pœnæ apud Deum, ex illis Conciliis non satis colligitur; ideoque ex illis non potest sumi argumentum efficax, sed ad summam conjectura quædam seu probabilis ratio à simili. Restat ergo dicendum, quod si consulamus antiquos, qui nobis tradiderunt fidei Indulgentiarum depositum; indulgentias nihil aliud esse quam relaxationes multarum publicarum, quibus Ecclesiasticæ disciplinæ satisfieri debet: ut ut sequioris ævi scriptores post veterum Canonum & Praxeos antiquæ rigorem relaxatum, secus intellexerint. Qua in re, ut ait *Cassander* loco supra citato, sect. 9. *correctionem & moderamen fieri desiderunt Docti.*

[b] *August.* hom. 50. cap. 3. impress. Paris. 1506. *Si non habemus peccata, et tundentes pectora dicimus, dimitte nobis debita nostra, tempore Missæ: Ex hoc ipso certe & graviter nullo dubitante peccamus, cum intra ipsa sacramenta mentimur.* Et ut sciant hoc ita tenendum esse, consulendus est can. 115. & 116. Concil. Carthag. receptus can. 2. synodi 6. ubi ait, *Anathema ipsi dici, qui docet sanctos dicere dimitte nobis debita nostra pro aliis,*

liis, non pro se. Et per humilitatem, non quod vere ita sit. Nam in scripturis aperte ostenditur eum qui dicit se non habere peccatum, non vere dicere sed mentiri. Consuli potest *Aug.* pro probatione hujus dicti, potissimum Epistola 200. & in lib. de Perfect. Justitiæ cap. 6. 8. 13. 29. & de Nuptiis & concupisc. lib. 1. cap. 29.

[c] *Ambrosius* in orat. funebri fratris *Satyri*, animam ejus commendat Deo, pro eo hostiam offert sacrificium sacerdotis: & tamen ait, *intravit in regnum cælorum quoniam credidit verbo Dei.* Et in obitum *Valentiniani*, donat eum *precum* suarum *contextione oblationibusque*: Et tamen credi vult, *quod æterna vita fruitur voluptate.* Et de *Theodosio* prædicatur; *Da requiem perfectam, requiem illam quam parasti sanctis tuis*: & tamen ait, *manet in lumine Theodosius, & sanctorum cœtibus gloriatur.* *Matthæus Westmonasterienſis* scribit *Carolum* Regem Francorum anno 797. scribere ad *Offam* Regem Merciorum, ut pro *Adriano* primo *interredi jubeat, etsi nullam habeat dubitationem, ejus animam esse in requie, sed ut fidem & dilectionem ostendat in eum.*

Chrysost. hom. 32. (est 31. in codice Græco) in *Matth.* asserit aperte, orandum pro mortuis: Non tamen lugendus eorum status

tus ut miser, cum sint in beatitudine. Audi verba, *Cur post mortem pauperes convocas? Cur Presbyteros, ut pro eo velint orare obsecras? Non ignoro te responsurum, ut defunctus requiem adipiscatur; ut propitium judicem inveniat: His ergo de rebus flendum atque ululandum arbitraris? Nonne vides quam maxime tibi repugnes, ὑπὲρ ὧν εἰς λιμένας ἀπῆλθεν ἐκεῖνος; Quare venit ad portum, ut ibi tempestates suscitet? Eandem quam ille vitam transige, & statim sacra illa visione frueris. Qui justi decesserunt, evaserunt jam à periculis, & tuti bona possident.* Ubi aperte admittit preces pro existentibus in cœlo ab Ecclesia fundi.

Epiphan. Hæres. 75. num. 7. Edit. Paris. ait fieri memorias defunctorum, *ut credant præsentes eos vivere apud Dominum.* Utiles autem sunt mortuis preces ἵνα τὸ εὐπελέστερον συμβῇ. Et ideo *justorum memoriam facimus, Patrum, Prophetarum, Apostolorum,* &c.

Justinus Martyr. quæst. 75. Supponit ante Corporum resurrectionem, animam peractæ vitæ meritorum retributionem non percipere; docet tamen animas justorum post exitum è Corpore εὐθὺς, *illico abduci ab Angelis εἰς ἀξίους αὐτῶν τόπους, εἰς παράδεισον, ubi consuetudine & aspectu fruuntur Angelorum & Archangelorum, & visione servatoris Christi.*

Idem

Idem *Chrysost.* hom. 39. in 1. ad Corinth. & 28. hom. in Epist. ad Hebræos; *Theodoret.* in cap. 11. ad Hebræos, & ibid. *Theophylact.* S. *August.* l. 1. Retract. cap. 14. ait *meritoquari, &* Epist. 102. videtur *asserere* id fieri; nempe *visionem faciei Dei fore tantum ad Resurrectionem mortuorum.* Et in Psal. 36. idem ait; vult tamen *animas esse in requie cum paupere Lazaro.*

S. *Bernardus* Serm. 3. de omnibus sanctis, vult *justorum animas esse in atriis, non in domo Dei, cum sint sine corpore.* Et Serm. 4. vult videri tantum Christi humanitatem, non divinam essentiam: *vident Christum in forma servi, non in forma Dei, ut videbitur in Resurrectione.*

Anselm. in 2. Cor. 5. ait, *animas mox, ut à carnis colligatione exeunt, in cœlesti sede acquiescere. Augustinus* lib. de peccat. merit. & Remiss. cap. 28. *Non est ullus ulli locus medius, ut possit esse nisi cum Diabolo qui non est cum Christo.* Idem sanctus *Hypog.* cap. 5. ubi argumentatur à genere negato sic; *Nullus datur tertius locus; ergo tertius locus Pelagianorum non extat.*

Gregorius in Job lib. 3. cap. 20. ait, *defunctos pios, mox ad cœlestia præmia duci.* Et Liturgiæ omnes Ecclesiasticæ hoc videntur insinuare; defunctos, pro quibus expiandis Ec-

clesia

cleſia orat, eſſe in pace. Liturgia Eccleſiæ Latinæ in can. Miſſæ orat pro his *qui dormiunt in ſomno pacis.* In Miſſa S. *Jacob.* in collecta Catholica (quam Latini vocant *memento*) inter numerum eorum pro quibus Diaconus dicit, *oremus*; fit commemoratio omnium noſtrorum tum ante tum poſt εὐλογίαν. *Memento, Domine, majorum noſtrorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, Doctorum, Sanctorum, & omnis ſpiritus juſti.* In Miſſa D. *Marci. Memor Patriarcharum &c. horum omnium animabus da requiem.* In Miſſa *Baſilii* fit mentio in *Memento* nominatim, *Ignatii, Dionyſii, Julii.* In Miſſa Æthiopum. *Memento in recta fide quieſcentium*; & in Miſſa qua Græci communiter utuntur, & quam *Cabaſilas* exponit cap. 33. expoſ. Liturg. *Offerimus tibi rationabilem hunc cultum pro eis qui in fide prius requieverunt, Avis, Patribus, Patriarchis, Apoſtolis, &c. & quolibet ſpiritu in pace conſummato*; ubi male gloſſat *Cabaſilas.* (*Nihil pro eis orat ſacerdos*) ut patet legenti dicta. Unde cap. 49. ait, *non deeſſe qui putent fieri pro ſanctis ad Deum ſupplicationem.* Inter eos & *Chryſoſt.* hom. 21. in Act. *etiam pro Martyribus offertur.* Et *Epiphan.* ſupra citatus, hæreſ. 75. num. 7. *Cyrill.* Hieroſol. Catech. Myſtagog. 5. *pro omnibus oramus, etiam ſanctis.*

Miſſa

Missa Ecclesiæ Latinæ oratur, ut oblatio sanctis proficiat ad honorem. Cypr. lib. 4. Epist. 5. *pro Martyribus offerimus. Origen.* hom. 35. in *Lucam*, putat, *etiam in Angelis posse reperiri negligentiam purgandam.* Sequitur *Origenem Hieronymus* in Comment. cap. 2. ad *Ephes.* & *Theodoret.* in 1. ad *Tim.* 3. & in Dial. Immutabilis; secutus *Origenis* sententiam, negat *Angelos videre Divinitatis naturam perfecte: Ita ut possit in eis reperiri pravitas. Job.* 4. v. 18. seu, ut alii vertunt, *stultitia*, Græci σκολιὸν: intortum & obliquum aliquid. Hebræi; *non posuerunt in eis lumen exactissimum.* Nempe ut *Vatablus* glossat, & *Gabr. Vasquez* in 3. part. disp. 49. cap. 5. Notat synod. 5. *hanc sententiam Origenis non numerasse inter Originistarum errores. Wesselius*, ante dictus lux mundi, ex Psal. 83. contendit *posse fieri etiam in fidelibus piis & beatis purgationes, & augmenta virtutum, donec clare videatur Deus in Sion, & usque ad perfectum diem.* Prov. 4. Ac adeo *Purgatorium* ait *esse locum expiationis, qua potest in cœlis contingere non videntibus clare Deum, non autem est locus punitionis*: ut pag. 832, 833, 835, 849. Impressionis Batavæ ex mente Græcorum.

[d] Opinio est, non fides Ecclesiæ, quod animæ detinentur extra cœlum apud inferos usque ad Resurrectionem, ubi *luant delicta*

mora resurrectionis, ut tradit *Tertull.* lib. de anima cap. 55. & ult. Quem ita opinantem plures Patres sequuntur, opinando, non credendo fide Catholica, rem ita esse. Et hanc sententiam Anaphora Latina Missæ defunctorum sequitur, orans eos *à pœnis inferni liberari.* Et *Hilar.* in Psal. 118. v. 20. & can. 3. in *Matth.* *Basil.* in 4. & 9. *Esaiæ.* *Lactant.* lib. 7. instit. cap. 21. *Origen* hom. 3. in Psal. 36. & *Amb.* ibid. & *Aug.* lib. 1. retract. cap. 14. ait dubitando, *merito quæri an sit ita vel non.*

Prædicti Patres sic sentientes à *Bellar.* lib. 2. de Purgatorio cap. 3. reprehenduntur. Vide an consequenter citet eos lib. 1. pro Purgatorio punitivo. Fateor *Augustinum* aliquando vacillasse de punitione in Purgatorio, de civit. Dei lib. 21. cap. 26. *Non redarguo, forsitan verum est.* Et de fide & oper. cap. 16. *non abhorret, quantum arbitror, à ratione veritatis.* Punitio ergo in Purgatorio est res in opinione humana posita; quæ nec ex Scripturis, nec Patribus, nec Conciliis deduci potest firmiter; Imo [c] (salvo meliore judicio) oppositа sententia eis conformior videtur.

SECTIO

SECTIO X.

De Intercessione Sanctorum, & de eorum Imaginumque adoratione.

INvocatio Sanctorum non est [a] actus Religionis, aut oratio Theologice loquendo, magis quam cum oramus viros justos hic viventes quos Sanctos reputamus, ut sint nobiscum, & pro nobis apud Deum [b] comprecatores. Ex praxi interpellantium Sanctos, non est necesse inferre eos nos [c] certo audire. Satis est interpellatores eorum [d] pie credere, eos ab illis audiri. Proprie ergo loquendo non oramus aut invocamus Sanctos religioso cultu (Qui soli Deo debetur) sed quadam humanitate eos movemus & rogamus, ut Deum pro nobis vellent religioso cultu interpellare. Et licet bonum sit quandoque rogare Sanctos, ut Deum pro nobis orent, ex affectu humanitatis quo ipsi in nos feruntur; tamen utilius est [e] Deum religiose orare. Et de hac re moneri deberet populus, ne plus Religionis putent

tent esse in rogandis Sanctis, quam in orando Deo. Adoratio religiosa soli Deo debetur: at obsequiosa, quæ, ex humanitate & civili quadam conversatione cum Sanctis, proficiscitur, Sanctis in cælo existentibus exhiberi potest, æque ac piis viris quibuscum hic versamur; nam suo modo civiliter conversamur cum Sanctis in cælo, nos qui *sumus cives Sanctorum, & domestici Dei*: ac adeo quid vetat, inter conversandum cum iis humanitatis, non Religionis officia illis impertiri? Ex his colligitur, Sanctos non esse Mediatores nostros apud Deum, qui interveniunt inter Deum & nos, sed potius sunt præclara Christi membra, quæ dignantur esse nobiscum collaterales comprecatores; qui se nobiscum facto agmine prosternant coram Agno Mediatore Christo, ut Deus velit per ipsum nobis esse propitius.

Cultus ille, quo Sanctorum reliquias, Imagines, & exuvias veneramur, [f] non provenit à Religione; sed ab obsequioso animi affectu, spectatque ad civilem quandam cum Sanctis conversationem, qua in signo illo externo profitemur, nos virtutes Sanctorum revereri & suspicere. Illudque obsequii nos ipsis, si adessent, præstituros, quod reliquiis eorum videmur præstare. Melius docent illi Theologi, qui aiunt, obsequium

sequium illud, aut quid tale, non fieri rei sensibili, aut Imagini ad Christum vel Sanctos pertinenti, sed prototypo.

Paralipomena ad Sect. 10.

[a] D. *Thom.* 22. q. 81. art. 1. ad 2. ait, *Religionem propriè dictam, non quemlibet, sed Dei cultum significare. Basil.* orat. in *Julittam*, ait, esse αἴτησιν εἰς θεὸν γινομένη. *Nyssenus* de orat. Dom. ait, ἐκ τοῦ προσεύχεσθαι περιγίνεται τὸ μετὰ θεοῦ εἶναι. Idem *Chrysost.* hom. 30. in Genes. προσευχὴ διάλεξις ἐστὶ πρὸς τὸν θεόν. *Damascen.* 3. de fide Orthod. cap. 24. ait quod est ἀνάβασις πρὸς τὸν θεόν. *Ambros.* in cap. 1. ad Rom. *Volunt Deum adiri per orationem. Theodoret.* in cap. 2. ad Colos. ait, *Laodicenam synodum prohibuisse precari Angelos*; alludit ad can. Cod. univers. 139. οὐ δεῖ χριστιανοὺς ἀγγέλους ὀνομάζειν. Et hoc vocat κεκρυμμένην εἰδωλολατρείαν. *Irenaeus* lib. 2. cap. 58. *Origen.* contra *Celsum* lib. 8. οὐ μὴν τὴν ὀφειλομένην πρὸς θεὸν τιμὴν τούτοις ἀπονέμομεν. *August.* hæres. 39. de vera *Rel. Honoramus eos caritate, non servitute.* Ita *Epiphan.* hæres. 50. Idem *Hieron.* Epist. ad *Riparium*, & contra *Vigilant. Valla* in cap. 4. Matth. *Ludovicus Vives* in cap. 10. de Civitate Dei. douliam omnem religiosam, contendunt esse Latriam Deo soli debitam

debitam. Idem *Peres* de tradit. part. 3. consid. 7. & S. *Paulus* Rom. 10. v. 14. Ei vult *tribui invocationem in quem fides tendit.*

[b] Pulcre hanc sententiam exprimit *Cassand.* in defens. lib. de offic. Pii viri, ait, *preces ad Sanctos dirigere, tanquam spiritu & anima præsentes, non ut Mediatores constituerentur, sed ut precibus illorum nostris quoque precibus adjunctis facilius à Deo, per unicum Mediatorem Christum, quod vellent, impetrarent. Neque per hoc pura & legitima Dei invocatio ullo modo corrumpitur; non sane magis quam cum in hac vita fratres obsecramus, ut nos precibus suis apud Deum adjuvent. Hoc autem vel ipsi scholastici viderunt, in quibus Alex. Alensis* q. 92. memb. 1. art. 4. disputans de eo qui sit orandus, *solum Deum simpliciter orandum esse & invocandum* asserit. *Sanctos vero magis se habere ex parte orantium, quasi coadjuvantes, quam illius qui oratur.* Hæc nemo sanus impietatis damnare poterit; Aitque *superstitioni deputandum si homines hos limites excesserunt; Quod contingit eis, qui majore studio & pleniore fiducia Sanctorum, quam Christi patrocinio & intercessioni sese commendant.*

[c] Sancti Patres, quando mente præsentes Sanctos alloquuntur & orant, tacitam conditionem subaudiunt. *Naz.* de laud. *Gorgon.* εἰ δὲ τὶς σοὶ λόγος, εἰ δέ τις σοι καὶ τῶν ἡμετέρων

ἐστι

ὅτι λόγος, καὶ τοῦτο ταῖς ὁσίαις ψυχαῖς ἐκ θεοῦ γέρας τῶν τοιούτων ἐπαιδάνεσθαι, δέχοιο τῶν ἡμετέρων λόγων ἀντὶ πολλῶν, καὶ πρὸ πολλῶν ἐνταφίων. Non precationem nimirum intelligit, ſed encomium. Et orat. de *Baſil.* ἐν οὐρανοῖς προσφέρειν ait ὡς ὅιμαι. *Hieron.* in Epitaph. *Nepotiani*: *Felix Nepotianus qui hæc non videt, felix qui hæc non audit.* Idem *Aug.* lib. de cura pro mortuis gerenda. cap. 13. & lib. de ſpiritu & Anima. cap. 29. *Origen.* lib. 2. in Epiſt. ad Rom. cap. 2. recenſet inter occulta, *an Sancti laborant pro nobis.* Et ſi non ſit certum Sanctos clare videre Deum, certum eſſe nequit, quod res noſtras clare aut certo ſciant.

[d] Theologi docent ad actus virtutis Moralis, qualis eſt religio, ſufficere pie credere quod adſit objectum circa quod verſatur; ut ad exercitium eleemoſynæ, ſatis eſt credi illum eſſe pauperem qui ſtipem mendicato petit, eſto, pauper non ſit. Ita ut converſemur cum Sancto, ſat eſt pie credere, eum noſtrarum rerum conſcium eſſe. Credulitatis hujus ſuſpiciones non deſunt probabiles; Nempe 1. *Epheſ.* 2. v. 19. *Sumus concives & domeſtici & commembra Sanctorum.* Pronum ergo eſt ſuſpicari, eos converſantes familiariter cum Chriſto, multa ab eo de nobis petere, & dicere. Secundo Angeli ad

nos

non missi sciunt distincte res nostras. *Tob.* 12. *Zach.* 1. *Dan.* 10. 19. 18. Cur non referunt aliis?

[e] *Chrysost.* hom. de perfect. Evang. expresse monet, *per teipsum Deum precaris, neque tam facile Deus audiit cum alii pro nobis erant, ut cum ipsimet eramus. Theoph.* in cap. 15. Matth. *Licet Sancti orent pro nobis, tamen nos pro nobis ipsis petentes magis audimur.*

[f] *Vasquez.* in 3. part. q. 25. *Thom.* disp. 108. cap. 7. sect. 77. ex Conciliis & Patribus probat, *affectum submissionis in solum exemplar ferri; Imaginibus secundum se, non tribui, sed soli exemplari.* Et cap. 11, 12. ait *librum Evangelii, nomen Jesu, res sacras, & alias res inanimatas, non adorari secundum se; sed in iis adoratur prototypum eis conjunctum cogitatione aut reipsa.* Et in hac sententia teste *Rogero Hovedeno*, parte prima, anno 592. Erat *Carolus* Magnus, *Alcuinus*, Episcopi Galliæ & Angliæ. *Aymonius* ad ann. 794. Testatur *nationem Germanicam in Synodo Francofurdensi cum eis conspirasse.* Idem sentit *Greg.* Mag. ad *Serenium* Massil. lib. 9. Epist. 9. Idem testantur Abbes *Ursperg.* anno 793. *Ado* ætat. 6. ann. 792. *Aventin.* lib. 4. Annal. Bojorum. *Paulus Æmilius* de gest. Franc. lib. 2. *Platina* in *Adr.* 1. *Sabellicus* Ennead. 8.

lib.

lib. 8. *Gal.* in Chron. ann. 816. *Blondus* Ænead. 2. lib. 1. *Riddus* in Catal. ann. & princip. Conc. Senonenſ. decret. 14. *Hincmarus* Rhemenſ. cont. *Hincmarum* Laudun. cap. 10. *Chroniates* in Annal. damnant Imaginum, aut rerum creatarum adorationem. *Iſid.* lib. 1. de Eccleſ. offic. cap. 34. *Amalarius Fortunat.* de Eccl. off. lib. 1. cap. 14. *Strabo* de rebus Eccl. cap. 8. *Abulenſis* in Deut. 8. 9. 1. *Durandus* in 3. d. 9. q. 2. & in Rationali lib. 1. cap. 3. *Holcot.* in lib. Sap. lect. 157. *Biel* in can. Miſſæ. *Alex. Alenſis* 3. part. q. 1. Et *Picus Mirandula* in Apol. q. 3. *Alphonſus à Caſtro* adverſus hæreſ. verbo. *Adoratio*, hæreſ. 1. *Pereſ.* de tradit. *Gerſon.* in compendio Theologiæ, Explic. præcepti primi. Et ante eos *Epiph.* in Epiſt. ad *Joan. Hieroſ.* & hæreſi 55. 29. *Auguſt.* de moribus Eccleſ. cap. 34. & hæreſ. 7. lib. de hæreſ. *Origen.* contra *Celſ.* lib. 7. *Arnobius* contra Gentes lib. 8. Conc. *Elib.* cap. 36. Et *Vaſquez* locis citatis, ait, *communis ſcholaſticorum fundamenta huic ſententiæ favere.*

SECTIO XI.

De Peccato Originali, Libero arbitrio, & Gratia, legibusque divina & humana.

SEntentia *Augustini*, quæ etiam in renatis manere asserit concupiscentiam, & peccatum originale [a] formaliter & vere, licet sine reatu, quia non imputatur, est scripturis conformior. Nec enim aliter explicari poterit, ex qua causa, Caro & Anima pueri recens nati, nondum regenerati, peccati originalis macula inquinetur, nisi quod cum carne à parente accepta, Peccatum illud carni insitum in puerum traducatur: Cui donec [b] regeneretur in Christo, necesse est imputari.

Liberum [c] Arbitrium inest homini ad bonum & malum. [d] At nihil boni operari potest, nisi Gratia divina illud præmoveat, præveniat, & comitetur. Per quam solam gratiam, qui à peccato liberantur, liberi fiunt.

[e] Legem divinam nemo potest perfecte implere, quam diu anima habitat in corpore mortis,

mortis, sub peccati lege captiva; donec perveniat ad secundum baptisma, quo anima perfecte lavabitur à sordibus in die regenerationis æternæ.

Est contra libertatem, qua Christus nos donavit, ut homines, quorum servos nos esse vetat, ligare conentur animas Christianas, plus quam [f] lex Evangelica Christi eas ligatas vult. Unde leges humanæ qua humanæ sunt, non [g] obligant in Conscientia. Asseri tamen debet ἀπόδειξις, & per se loquendo, Principum, Prælatorum, & Superiorum leges ligare Conscientiam. Semper enim de eis præsumitur, donec contrarium constet, eas prospicere bono communi, & necessitatibus publicis, quibus lex divina vult ab inferioribus succurri, etiam cum privato dispendio.

Paralipomena ad Sect. II.

[a] Videatur *August.* de nuptiis & concupis. lib. 1. cap. 5, 7, 18, 19. ubi peccatum originale, docet actu manere, & esse sicut semen oleæ, quod facit oleastrum. vid. cap. 24, 25, 26, 27. Nam cap. 25. respondet objectioni, cur peccatum originale dicitur dimitti in patre non in prole? Respondet, *dimitti concupiscentiam carnis, non ut non sit, sed*

ut in Peccatum non imputetur. Et lib. 3. contra 2. Epist. *Pelag.* cap. 3. ait, *in rei veritate baptismum non dare plenam remissionem peccatorum; cum renati sint tantum ex parte filii Dei. Expectant enim aliam regenerationem, ut filii hujus seculi nulla ex parte sint.* Idem docet cap. 9. lib. de perfect. Justitiæ. Ait, *Peccatum in hac vita tantum ignoscendo mundari; at vero sic mundatur in alterius vitæ perfectione, ut jam non sit omnino quod ignoscendo mundetur.* Vid. in eam rem c. 27, 29, 32, 33. lib. 3. contra 2. Epist. modo citati. Etiam vid. lib. 2. contra *Julian.* c. 3, 4, 9. & lib. 5. c. 3, 4, 7. & ad quæstionem illam, *an renati propter manens Peccatum absolute loquendo dicendi sunt sancti & filii Dei, quamdiu in eis manet Peccatum non sanctum: Augustin.* lib. 6. contra *Julian.* c. 17. Respondet, dicendo, quod ἁπλῶς loquendo *renati dicendi sunt sancti & filii Dei. Esto, excrementa in intestinis & vesica sint, & non sint sanctificata. Et idem dicendum est de Peccato manente: quod licet non sit sanctum, non impedit, quo minus, quamdiu non imputatur, renati id habentes vocentur sancti.* Adjuvat pulcra assertio *Augustini* lib. de perfect. just. c. 6. Ubi ad objectionem *Cælestii*; *manet Peccatum in renatis, ergo imputatur. Augustin.* respondet, negando consequentiam: quia *Dominus Peccatum non imputat his qui fideliter*

ei

ei dicunt, dimitte nobis debita nostra; aitque, *nos habere in hac vita dimissionem imperfectam: cum Deus ob fidem non imputat peccatum. Ita tamen ut fidelis nunc sine peccato esse non possit, etiamsi velit: dimissio autem illa perficietur, & omnino implebitur ut homo sit omnino sine Peccato, contentione mortis absumta, & caritate perfecta.* Notandus est etiam pulcher locus ex lib. 5. contra *Jul.* cap. 3. ubi docet *concupiscentiam manentem in renatis, & pœnam esse & causam Peccati, & etiam Peccatum. Peccatum est quia ineſt illi inobedientia contra dominatum mentis: & pœna peccati est, quia reddita est meritis inobedientis; & causa peccati est, defectione consentientis, vel contagione nascentis.*

[b] Necesse esse Peccatum manere in carne, ut traducatur Peccatum, probat clare *Augustin.* lib. 6. cap. 6. contra *Jul.* ubi docet, *Peccatum quid generabit nisi peccatum? cum bonum, qua bonum nequeat transmittere malum.* Et lib. 1. de nuptiis & concupiscent. c. 32. *Hoc trajicit parens in prolem, quod & ipse carnaliter natus, non quod spiritualiter renatus. Quia id ipsum, quod carnaliter natus est tanquam in semine Olivæ latet, etiamsi propter remissionem Peccatorum nihil Oleo noceat. Ei scilicet vitæ, qua secundum Christum, qui est appellatus ab Oleo, id est, Chrismate, Justus ex fide vivit. Hoc autem quod in parente regenerato,*

rato, tanquam in Olea ſemine, ſine ullo vitio; quia remiſſum eſt, tegitur; profecto in prole nondum regenerata, velut in oleaſtro, cum reatu habetur, donec illic etiam eadem gratia remittatur. Unde eodem modo diſcurrit de vitio nativitatis in hominibus ac in arboribus. Ita ut facta naturæ mutatione in deterius, totum Genus humanum fiat Oleaſter. Quemadmodum videmus in arboribus, vitium primæ nativitatis traductum, & attractum eſſe. Nec alius modus poteſt cogitari unde traducatur vitium originale, niſi efficiatur ex vitio in carne manente. Poſſe autem peccatum eſſe in carne docuit Magiſter in 2. ſent. diſt. 30. litera B. *Gabriel, Vaſquez* & *Lorca* in 1, 2. D *Thomæ* docent, Peccatum formaliter poſſe exiſtere in membris & artubus externis, & citant pro ſe magnum numerum ſcholaſticorum.

[c] De libero Arbitrio præclara eſt confeſſio *Nyſſeni* in orat. πρὸς τοὺς ταπεινοῦντας, tom. 2. edit. Pariſ. p. 1066. in homine ἰδιόν τὸ αὐτεξούσιον, id eſt, liberum Arbitrium eſt hominis ſingulare privilegium, quo quandam habet æqualitatem cum Deo. Antiquiſſimus autem & doctiſſimus *Tertullianus* lib. de anima c. 21. agnoſcit liberam Arbitrii poteſtatem etiam in ſupernaturalibus, quam vocat αὐτεξούσιον, & id conſtat *Johan.* c. 1. v. 12. ἐδω-

ἐν αὐτοῖς ἐξουσίαν filios Dei fieri. Et 1 Cor. 7. 37. *ἐξουσία περὶ τοῦ ἰδίου θελήματος.* Videatur *Tertull.* cap. 22. de anima. & lib. 2. contra *Marc.* cap. 5, 6, 7, & c. 8. post Lapsum docet Arbitrii libertatem. Idem cap. 9, 10, 15. & lib. 1. contra *Marc.* in carminibus c. 1.

---Ille dolo suasit, homo libertate peregit.

Vide c. 14. lib. de Monogam lib. de Trin. *Solus homo liber. Cyprianus* discipulus *Tertulliani*, ut ita dicam, lib. 1. Epist. 3. *homo libertati suæ relictus est, & in Arbitrio proprio constitutus, sibimet ipsi vel mortem appetit vel salutem.* Et liberum voluntatis Arbitrium fatetur. in tract. de simpl. præl. & lib. 3. ad *Quirin.* c. 52. ubi docet *credendi vel non credendi libertatem in Arbitrio positam.*

[d] Auctor libri Eccles. dogm. c. 21. *Manet ad quærendam salutem Arbitrii libertas: sic tamen ut initium salutis Deo miserante habeamus. Arbitrium naturæ nostræ est sequax Divinæ inspirationis. Adeo ut verbis Augustini de gratia & de libero Arbitrio* cap. 16. *possimus dicere, certum est nos facere, & quidem libere, cum bene ad salutem facimus. Sed ille facit, ut faciamus libere, præbendo vires efficacissimas voluntati id facere. Sed ille facit ut faciamus, excitando, præmonendo, præveniendo vires liberas, & sine gratia hac præveniente,*

nihil

nihil ad salutem possumus. Videantur Canones *Arausicani*, qui docent, quod habetur can. 1. *Voluntatem nostram Deum non expectare, sed præparari voluntatem à Deo.* Et doctrina hæc fundatur in *Ezek.* 11. 19, 20. & 36. 27. *faciam ut in præceptis meis ambuletis.* Quod testimonium urgent late *Augustinus* de gratia & libero Arbitrio c. 14. & *Fulgentius* lib. 1. ad *Monim.* & *Augustinus* lib. 1. contra 2. Epist. *Pelag.* cap. 3. & 19. ex cap. 6. *Johannis* contendit *per gratiam Dei voluntates nostras trahi non ut homines nolentes credant, sed ut volentes ex nolentibus fiant.* Quam tractionem de Grat. & lib. arb. c. 5. vocat *magnam & efficacissimam vocationem.*

[e] *Augustinus* de perfect. justit. c. 7. docet, *præcepta posse impleri in hac vita.* Quando autem implebuntur quæritur. Aitque, *illud Quando non fore modo, sed tunc quando contentio mortis erit absumta, & caritas erit videndo & obtinendo perfecta.* Licet concedat præcepta posse impleri *modo imperfecto, & ad modum proficientis, profectus tamen ille, in hac vita non perficietur, nec implebitur omni modo.* & cap. 8. ait, *præceptum caritatis, diliges Dominum Deum ex toto corde tuo, in plenitudine caritatis implebitur. Nam cum est aliquid carnalis concupiscentiæ, non omnimodo ex tota anima diligitur.* Idem docet c. 6. dicti lib. & lib.

lib. 1. de nuptiis & concupiscentiis cap. 29. *Præceptum, non concupisces, nemo perficit. Non implet quod scriptum est id dictum, ut nos in hoc morbo jacere intelligentes, sciamus quo debemus conari, ad plenitudinem nempe alterius vitæ.* Et Epist. 200. ad *Asellicum, hoc lex posuit, dicendo, non concupisces: non quod hic valeamus; sed ad quod proficiendo tendamus, monstrando.* Et de perfect. Justit. cap. 13. *recessisse ab omni malo in hac vita est præceptum, non factum.* Videatur ejusdem libri cap. 9, 13, 14, 17, & cap. 20. ita ait. *Quisquis autem dicit post remissionem peccatorum acceptam, ita quemquam hominem juste vixisse in hac carne, vel vivere, ut nullum habeat omnino peccatum, contradicit Apostolo.* 1. *Johan.* 1. aitque, *se non defendere valere, hoc dici ratione peccati originalis, & non actualis. Et hoc colligi potest ex* cap. 3. v. 10. ad *Galat.* ubi *Lyranus* dictam doctrinam tradit.

[f][g] *Paulus* 1 *Cor.* 7. v. 23. præcepit, *non simus servi hominum imperantium ἀνθρ.* ut *Chrysostomus* in dictum locum exponit: *ἀνθρ. autem sunt præter legem divinam præcepta. Galat.* 1. v. 8. *quæ merentur væ, & plagam, & maledictionem. Tertull.* de Jejun. c. 1. de Montaniſtis ait, *Anathema audimus, qui aliter adnunciamus.* Audiebant hoc à Catholicis ob imperium novæ disci-

plinæ, c. 2. quod Catholici non admittebant, *Quia aliter annunciatum. 2. Galat. 25. Non sumus sub pædagogo legis*; & ei subdi (c. 4. v. 3. 9.) *est elementis mundi servire.* v. 11. *Metuendum de statu eorum, qui talem electionem sibi eligunt.* Et c. 5. v. 1. *peccare contra præceptum & libertatem Christi.* vers. 2. *Christus eis nihil prodest.* Argumentum in his continetur à minore ad majus. Est pædagogium servile, & contra Christianam libertatem, Christianum esse obligatum legè positiva divina, quæ alia est ab Evangelica; in qua stare oportet. 1. ad *Galat.* v. 8. & cap. 5. v. 1. Ergo à fortiori servile est obligari lege positiva humana, mere humana, in qua nihil divini continetur. Ita arguunt Catholici apud *Tertull.* lib. de Jejun. c. 2. *Fides libera in Christo, nec Judaica quidem legi abstinentiam debet.* Ergo nec Imperio novæ disciplinæ eam debet, cum Christus de cætero Jejunandum ex Arbitrio constituat. Et in hac sententia est *Wesselus* fol. 748. Impres. Batavicæ. *Gerson.* 3. part. tract. de vita spirituali, lect. 4. Alphabet. 62. ubi dicit, *solum Deum posse dare præcepta obligantia in conscientiam.* Et Coroll. 5. ait, *peccari in legem humanam ratione divinæ, quæ ei conjungitur.* Hanc *Gersonis* sententiam *Almain* de potestate Eccles. q. 1. c. 12. amplectitur quoad

leges

leges civiles. Uterque maximum ſcholæ Pariſienſis ornamentum. Et *Franciſ. Suarez.* lib. 3. de legibus. cap. 21. num. 4. citat *Decium*, & *Johannem Imolam*, *Menoch. Sotum*, *Caſtro*, ut faventes *Almanio*. Et quia idem *Suarez.* num. 9. ait ſententiam *Gerſonis*, prout eam intellexit, eſſe erroneam, & ſcandalo non carere: & *Bellar.* lib. 3. de Laicis cap. 6. affirmat eſſe errorem: noto breviter *Gerſonem* nihil aliud docuiſſe, quam id quod D. *Thom.* 12. q. 90. a. 2. tradit in argumento *Sed contra.* & q. 95. a. 3. ex *Iſidoro* 5. Etymolog. c. 21. quod *lex nullo privato commodo, ſed pro communi utilitate civium ſcribatur. Unde non habet rationem Legis* (ait *Thomas*) *niſi ordinetur ad bonum commune. Ergo clarum eſt, legem obligare jure divino, quod obligat ut pars ordinatur ad totum; unus autem homo eſt pars communitatis perfectæ*, ait *Thomas* Reſp. in corp. articuli. Vid. q. 95. art. 4. ubi ex eo fundamento demonſtrat, *obligationem legis humanæ oriri à lege æterna. Et quia naturæ vult partem ſervare totum.* Quod autem ſuperiores in legibus ferendis proſpiciunt bono communi, id ſemper præſumendum eſt, niſi de eo aliter conſtet, ut docet *Leſſius* lib. 2. cap. 46. num. 30. de Juſt. & jure. Hinc concludo, ſecundum principia omnium Theologorum; obligationem conſcientiæ,

quam leges humanæ subditis inferunt, provenire ab obligatione vera vel præsumta legis Dei.

SECTIO XII.

De Ordinibus, Clericis, Monachis, & Votis.

CUm pax Ecclesiastica multum turbetur ex innovatione rituum ordinationis præscriptorum, consulendum ut in ordinationibus omnibus, maxime Episcoporum, Presbyterorum & Diaconorum, servetur formula vetus hactenus servata in [a] occidentali vel orientali Ecclesia. Fatendum tamen, ubi necessitas Ecclesiæ id postulaverit, ordinationem Episcopalem, qua unus alium consecrat esse [b] validam.

Votum castitatis annexum statui Clericali & Monastico, per se loquendo, est laudabile, & puritati mysteriorum divinorum, vitæque Angelicæ, quam Clerici & Monachi profitentur, condecens. At tamen ubi συμπάθεια requirit, ut contra Canonum ἀκρί-

βειαν

ἐνιαν agatur, solet Ecclesia votorum obligationem non exigere, declarando eam tolli. [c] Hoc autem non ita intelligi debet, quasi Ecclesia quidpiam auctoritatis usurpet in jus divinum votorum, quibus legitime voventes ex præcepto Dei astringuntur; sed ideo fit, quia Ecclesia potest declarare, auditis gravibus & rationalibus causis cælibatum, ἐν τῷ νῦν in hac individua persona non esse magis bonum; quod est materia voti; ac adeo votum [d] cessare defectu materiæ, in certo aliquo supposito; ita ut illi sit melius nubere, 1. *Cor.* 7. v. 9. & satisfacere præcepto habendi uxorem. 1. *Cor.* 7. v. 2. cui præcepto tali casu natura voti, aut Canon Ecclesiæ, & circumstantia personæ, non præjudicant.

[e] Monachi vocantur illi (si sint qui debent esse) quorum studium est imitari in vita & conversatione Christianos Ecclesiæ primitivæ; qui vivebant, omnis generis homines communiter, recipientes ea quæ sibi usui essent, se suaque dispositioni Apostolorum submittentes. Unde constat cælibatum non fuisse annexum vitæ communi primitivorum Christianorum. Nec ideo dicendi sunt veri religiosi aliquid extra Evangelium docere & profiteri. Nam illa, quæ passim vocantur Evangelica consilia, vere sunt Evangelica

gelica [f] præcepta perfectionis; quæ non obligant sub pœna damnationis æternæ, quando vergunt ad laqueum, 1. *Cor.* 7. v. 35. aut in probabile, & morale damnum animarum. Cum intentio ob quam *Christus* illam majorem perfectionem à nobis exigit, sit ut ἀπερισπάστως & sine distractione magis decore & honeste ei inserviamus. 1. *Cor.* 7. v. 35.

Paralipomena ad Sect. 12.

[a] Ritus ordinarii Ecclesiæ occidentalis extant passim in ritualibus, seu ordine Romano passim repertis. Ritus Ecclesiæ Græci editi sunt Venetiis Græce à *Theophane* Monacho: typis *Antonii Pinelli* 1613. Ubi τάξις γενομένη ἐπὶ χειροτονίᾳ τ ψαλτῶ fol. 40. τ ὑποδιακόνου. fol. 50. διακόνου. fol. 50. ἀρχιδιακόνου. fol. 51. ἱερατικόν. 53. Liber vocatur εὐχολόγιον.

[b] *Paulus* 1. ad *Tit.* v. 5. *Relinquit Titum solum ut ordinet Episcopos. Lucifer Calaritanus* ordinavit *Paulinum* Antiochiæ Episcopum *Ruff.* lib. 1. Histor. Eccles. c. 27. tripartit. lib. 6. cap. 19, 20. *Theodoret.* lib. 3. Eccles. Histor. cap. 2. ἐκ τοῦ τυχόντος. ordinatione minus canonica, ait tripartit. cap. 20. Et tamen lib. 9. cap. 44. ait *Romanos agnovisse Paulinum ut verum Episcopum. Paulinus* solus ait, tripartit. lib. 9. c. 44. ordinat.

Evagrium

Evagrium receptum à Romana sede ut verum Episcopum. παρὰ τὴν ἐκκλησιαστικὸν θεσμὸν, μόνος αὐτὸν ὁ παύλινος προβάλλετο, πολλὰς κανείας κατὰ ταυτὸν παραβάς. Ait *Theodoret.* l. 5. c. 28. quod tripartit. c. 44. l. 9. sic reddit, *præter Ecclesiasticam regulam fuit ordinatus. Solus enim eum ordinavit Paulinus.* Hic *Evagrius* tamen etiam à Græcis agnitus verus Episcopus. Sicut *Chrysost.* fuit agnitus ab iis verus Presbyter, quem *Evagrius* ordinavit, ait tripartit. l. 10. c. 3. ac consequenter verus fuit Episcopus, & ita agnitus à Concilio Oecumenico, quod pronunciavit pro *Flaviano* contra *Evagrium.* Et constat ex *Theodoret.* l. 5. c. 9.

Unde sine fundamento scholastici nonnulli, & inter eos *Vasquez* in 3. part. D. *Tho.* disp. 243. c. 6. sect. 63. Ait *plures Episcopos necessarios esse jure divino ad ordinandum alium Episcopum: nisi unus solus faciat ex Commissione Papæ ordinationem.*

Clem. l. 8. Apost. constit. c. 27. Dicit quod necessitate cogente, ab uno ordinari possit Episcopus; requirit tamen decretum commissionis plurium. Idem docet *Greg. Mag.* apud *Bedam* lib. 1. histor. c. 27. resp. 8. *In Anglia, ubi tu solus Episcopus inveniris, ordinare Episcopum non aliter, nisi sine Episcopis potes.* Solus autem erat, quia Britanni & Scoti nolebant *Augustino* communicare, quia habebant eum

pro

pro notorio violatore libertatum Eccleſiaſticarum Inſulæ. *Rhabanus Maurus* de inſtitut. Cleric. l. 1. c. 4. ait *pluralitatem Epiſcoporum requiri ad ordinationem Epiſcopi, ſolum ex inſtitutione Eccleſiæ, propter hæreſes: ne aliquid contra fidem, unius Tyrannica auctoritas moliretur. Excepto quod* (ut ait c. 5.) *Chorepiſcopi à ſolo civitatis Epiſcopo ordinantur.* Idem docet *Amalarius Fortunat.* l. 2. de Eccleſ. off. c. 14. *Alcuinus* de off. divin. ſect. *qualiter. Beda* lib. 2. hiſt. c. 3. ait *Auguſtinum ſolum exiſtentem in Eccleſia Anglicana, Epiſcopum ordinaſſe Mellitum Londinenſem, & Juſtum Roffenſem Epiſcopos,* & c. 4. *Laurentium* deſignatum à ſe ſucceſſorem in Epiſcopatu *Cantuarienſi*, & c. 7. *Juſtus* ordinavit *Paulinum*; Hic *Honorium* cap. 16. & lib. 3. c. 20. *Honorius Thomam. Itamar, Deus dedit.* Et c. 21. *Finanus, Diumam* & c. 7. *Theodorus* conſecrat *Eleutherium* & c. 22. *Ceddam*, & lib. 3. cap. 28. *Cedda* Epiſcopus Anglus conſecratus fuit à *Wini*, aſſumtis in ſocietatem ordinationis duobus de Britonum gente Epiſcopis. Non erat tunc ullus excepto illo *Wini* in tota Britannia canonice ordinatus Epiſcopus. *Wini* ut ait *Beda* l. 3. c. 7. fuit in Gallia ordinatus à tribus; nempe cui Britones, qui communicabant Gallis, libentius ſe adjunxerunt. *Theodorus Cantuarienſis*, ejecto *Wilfrido*,

frido, ait *Beda* l. 4. c. 12. ordinavit *Eadhedum*, *Bosam*, *Eatam* & quidem ut testatur *Wilfridus* apud *Malmesburiensem* lib. 3. de Archiepiscopo Eboracensi, *absque consensu cujuslibet Episcopi*. Quin & *Wilfridus*, ut ait *Beda* l. 4. c. 12. *Ostforum* ordinavit, *expulsus à sede sua*. Et constat ex *Lanfranco* apud *Baron.* ad ann. 1089. in Hibernia usque ad illum annum, consuevisse Episcopum ab uno Episcopo consecrari.

Paludanus in tract. de potestate Papæ. Apud *Anton.* 3. part. tit. 14. c. 16. sect. 9. ait, *tres Episcopos requiri ad consecrandum Episcopum, non ad essentiam; sed ad solennitatem tantum, ac adeo valere ordinationem ab uno.* Sequitur enim *Antonium* ibi. *Sylvester*, verbo *consecratio*. *Armilla* eodem titulo; & *Vasquez* citat. disp. 243. cap. 6. ait, *hanc sententiam recentioribus nonnullis maxime probari, & praxis Ecclesiæ eam confirmat*: nam ex 10. can. *Antiocheno*, qui est cod. Univers. Ecclesiæ 89. unus Episcopus solus poterat facere Chorepiscopum de jure ordinario, qui tamen can. 89. cod. habebat χειροθεσίαν ἐπισκόπου. *Consecrationem* vere *Episcopalem*: ita ut possit facere subdiaconos ex Canone; imo & Presbyteros, modo non fit δίκα τῶν ἐπισκόπου *dissentiente Episcopo*. Ut *Balsamon* in eo Canone recte notat. Chorepiscopi ordinan-

tes ſacerdotes dicebant ſe hoc recte facere, quod haberent χορεπισκον Epiſcopalem. Ex quibus refutatur error *Bellar.* l. 1. de Cler. c. 17. aientis, *Chorepiſcopos tantum eſſe Presbyteros.*

[c] [d] *Thomas*, ſcholaſticorum Coryphæus. q. 96. in 1, 2æ. a. 6. in corp. vocat *diſpenſationem interpretationem legis & præcepti, quod amplius virtutem obligandi non habet.* Et hoc *quia ſæpe emergit caſus, in quo obſervatio legis eſt damnoſa communi ſaluti, & tunc lex non eſt obſervanda.* & q. 97. a. 4. ad 3. docet hanc doctrinam æque militare in præcepto juris divini & humani. Communis eſt doctrina Theologorum, quam tradit *Bellarm.* in lib. 2. de Monachis cap. 14. quod *eſſentia voti non ſubſtat, ac conſequenter ceſſat ejus obligatio, niſi adſint duæ partes eſſentiales ad illud requiſitæ, materialis & formalis. Formalis eſt promiſſio religioſa, materialis eſt aliquod excellens bonum, per quod determinatur materia voti.* Nec enim voveri poteſt, niſi id quod melius ſit facere quam omittere. Cum ergo datur perſona, cui melius bonum ſit nubere quam cœlibatum facere: in eo ceſſat votum obligare defectu materiæ, excellentioris boni, nimirum: Nec enim poteſt quis voto obligari, & ad nihil obligari ad votum ſpectans. Ubi autem nihil boni excellentioris

ris sit, non est materia ad votum pertinens. Et juxta hoc fundamentum Theologicum, consilium dederunt SS. Patres. *Cypr.* lib. 1. Epist. 11. ubi Christo dicatis virginibns consulit, *si, aut perseverare nolint, aut non possint, melius est ut nubant, quam ut in ignem delictis suis cadant.* *Basil.* de virg. idem dat consilium virginibus, quæ abjecerunt viri jugum, & ad vitam Matrum-familias factæ sunt inutiles: & professæ sunt virginitatem. *Longe præstantius esset ipsas viro conjungi, quam ut sint otiosæ, nugaces, curiosæ.* *Epiph.* hæres. 61. de infamantibus monasticam vitam scortationibus, ait κρείττον πεσόντα ἀπὸ δρόμου, φανερῶς ἑαυτῷ λαβεῖν γυναῖκα κατὰ νόμον. *Athanas.* ad *Dracont.* loquens de Monachis, πολλοὶ τῶν ἐπισκόπων οὐ δὲ γεγαμήκασι, μοναχοὶ δὲ πατέρες τέκνων γεγόνασι. ἔξεστι, ἔξεστι γὰρ καὶ αὐτοῖς, καὶ ἐκείνοις οὐκ ἐκώλυται, ἀλλὰ πανταχοῦ τις ἀγωνιζέσθω. *Augustin.* de bono viduitatis c. 9. *post continentiam voti debito oblatam, ipsa nuptiæ vel talium non damnandæ judicantur, sed damnatur fracta voti fides, damnatur non susceptio à bono inferiori, sed ruina ex bono superiori.* & c. 10. ait, *talium nuptias esse nuptias, non adulteria.* Idem cap. 11. declarat se loqui *de continentiam voventibus, & profitentibus.* & c. 8. *Melius nubere quam retro post Satanam ire.* Et lib. de Sanct. virgin. c. 34. loquens de his quas pœnitet professio-

nis, ait, *eas revocari à nubendo — à superbia, qua formidatur magis hominibus displicere quam Deo. Hæ melius nuberent, quam urerentur.* S. *Greg. Mag.* lib. 1. Epist. 33. increpat *Venantium* lapsum à Monachatu, cui se devoverat, quæsito *consilio literatorum Clientium.* lib. 5. Epist. 41. & 43. scribit ad *Johannem* Episcopum Syracusanum *admonens ut admittat eum ad communionem.* Et l. 9. Epist. 30. prolem generavit *Venantius.* Ex quibus patet, *Gregorium* judicasse, melius fuisse *Venantio* in seculo vivere & nubere. Et lib. 9. Epist. 31. vult Episcopum Syracusanum *Johannem* hortari *Venantium, quod ad habitum suum redire vel in extremis debeat.* Habuit ergo *Greg.* de *Venantio* duplex judicium, unum secundum principia universalia, per quæ vovens debet votum implere: alterum penes circumstantias singulares, secundum quas judicabat voti obligationem cessare in *Venantio*, ac adeo eum posse admitti ad communionem.

Bernardus tract. de præcept. & disp. c. 21. quærit, quomodo S. *Greg. Venantio* Apostatæ indulsit communionem. Et quomodo *Aug.* vult matrimonium esse indissolubile, quod fracto voto initur. Et respondet, *ita sancti Antistites sapuerunt.*

Chrys. l. 3. contra vitup. vit. Monastic. *agnoscit*

vestit *Monachorum matrimonium*. S. *Leo* Ep. 92. c. 12. post professionem monasticam, ait, *honestum potest esse conjugium*. Imo à *Theodoro* in pœnit. apud *Grat.* dist. 71. c. *Si vir percipitur ut votum habens virginitatis, adjunctus uxori, non dimittat eum.*

[e] Patres aiunt, vitam Monasticam esse illam quam duxerunt Apostoli, & fideles Ecclesiæ primitivæ (qui erant uxorati aliqui, ut patet de *Ananiâ* & *Saphirâ*. Act. 5. v. 1.) *Chrysost.* de compunct. c. 8. de Apostolis, *nonne aliqui ipsorum γυναῖκας ἔιχον καὶ παῖδας.* Ita *Hieron.* Epist. 10. *Chrys.* in Matth. hom. 18. & hom. 56. Et in Act. hom. 11. *Bern.* in Apolog. ad *Gul.* Abbat. Conc. Meldense c. 9. *Cassian.* Collat. 18. c. 4, 5.

[f] *Cyprianus* lib. de Eleemosyna ait, *vitam illam communem ab Apostolis celebratam, quæ cadit sub Consilio* (ut Theologi aiunt) *acceptam esse ex Dei lege cœlesti, qua tenemur esse imitatores Dei, cujus quodcunque est in nostra usurpatione est commune.* Idem ante *Cyprianum* docuit *Tertull.* lib. 4. contra *Marcion.* c. 23, & 24. Ubi dicitur, *mandari alteriùs maxillæ oblationem; patientia hæc præcipitur plene & perfecte.* En præceptum perfectionis. Et lib. de Monogam. c. 3. *Johannes monet sic nos incedere debere, quemadmodum & Dominus*, i. e. Debemus esse Virgines. &

cap.

cap. 5. *quod ille fuit in carne aque esse debueris.* Et hoc sensu quadantenus exponi possunt ea, quæ *Tertull.* quem & alii Patres aliquando imitati sunt ea in re, lib. 1. ad Uxor. c. 2. *quod permittitur non est bonum, Nuptias permisit.* Ubi nuptias ponit esse contra præceptum virginitatis, quod est magnæ perfectionis. Certe *Athanas.* lib. de Incarn. agnoscit præceptum virginitatis. Idem in Apolog. ad *Constantium.* S. *Petrus Chrysologus* Serm. 38. ut *percussus præbeat alteram maxillam, vocat præceptum & mandatum.* Et in hoc sensu *Chrysost.* lib. 1. de Compunct. cap. 4. quem multi Patres sequuntur, ait vere *jurare crimen esse,* & prævaricationem mandati ἐντολῆς ἀράβασιν. Ibidem, ut percussus præbeat alteram maxillam, ut *volenti auferre tunicam, concedatur pallium, & similia;* vocat *præcepta:* Aitque nobis *confusionem habendam, quia contra ea aperte militamus.* *Aug.* lib. de perfect. justit. c. 8. ait neminem in hac vita implere præceptum diligendi Deum ex toto corde; tamen asserit, *recte præcipi homini istam perfectionem, quamvis eam in hac vita nemo habeat, quia his præceptis ostenditur quo currendum,* & concludit; *sic audiamus præcepta perfectionis, ne currere negligamus ad plenitudinem, Caritatis:* Atque *manifestum esse, præceptum esse homini, ut sit absque peccato; licet id præceptum*

ceptum in corpore non possit impleri. Et cap. 9. inter hujusmodi præcepta perfectionis recenset ea, quibus *Matth. 5. jubemur esse perfecti.* Ita etiam *Deut.* 18. & 1. *Cor.* 5. *nolite peccare.* D. *Thom.* 22. q. 44. a. 6. resp. ad 3. agnoscit hæc, scilicet ex *Augustino*, afferitque *dari præceptum perfectionis, ostendens quo currendum, licet*, ut ait resp. ad 1. *non potest impleri in hac vita perfecte.*

SECTIO

SECTIO XIII.

De Primatu Papæ, & suprema potestate Regum, tum in temporalibus, tum etiam in spiritualibus, prout induunt rationem temporalem, & sunt media ad impediendum aut procurandum salutem Reipublicæ.

SAncti Patres deferunt Romano Pontifici [a] Primatum. Primatus ille stando in jure Divino, non confert Papæ in reliquos Episcopos plus auctoritatis, quam habet [b] primus Præses curiæ Parliamentariæ [c] in reliquos Senatores. Et cum duplex sit adventus *Christi* in hunc mundum, Primus qui præteriit, in habitu servi ad ministrandum; secundus qui expectatur, & in forma Domini, & Monarchæ ad regendum, & *confringendum gentes virga ferrea*, & subdendum sibi omnia: non caret inconvenienti, quod Discipuli *Christi*, qui erat servus, sint Domini & supra Magistrum collocati. Et cum

cum *Christus* [d] subditus fuerit potestati Regiæ, eique humiliter obedierit, quod Vicarius *Christi* in Dominos temporales, in temporalibus, imperium & dominium exerceat. Reges habent immediate à Deo potestatem supremam, & solo Deo inferiorem in temporalibus. Per temporalia autem non intelligo tantùm ea quæ sunt mere temporalia, sed etiam spiritualia, præsertim corporea, quatenus sunt necessaria ad conservandam quietem Reipublicæ temporalis, aut ei necessarium impedimentum objiciunt: Nam sub ea consideratione spiritualia egrediuntur limites spiritualium, & ingrediuntur ordinem temporalium. Et juxta hanc explicationem, potest in sano & Catholico sensu defendi, Reges esse supremos Dominos in spiritualibus, prout induunt rationem temporalium, non secus ac in temporalibus.

Paralipomena ad Sect. 13.

[a] *Matth.* 10. v. 2. πρῶτος vocatur *Petrus*, & notatur honore aliquo singulari à *Clemente* Epist. 1. ad *Jacob.* *Dionys. Areopag.* de div. nom. c. 3. *Hippolyto* orat. de consum. mundi. *Origen.* hom. 2. in *Exod.* hom. 17. in *Luc.* In c. 6. ad *Rom.* *Petr. Alex.* Serm. de pœnit. *Euseb.* l. 2. c. 14. *Athanas.* ad *Felicem.* *Basil.* in c. 2. *Esai.* O-

rat. 3. de peccat. lib. 2. contra Eunom. *Cyril. Hieros.* Catech. 2, 11, 14. *Ephrem.* Syrus in Panopl. *Greg. Nazian.* in Apolog. ad patrem *Greg. Epiphan.* hæres. 51. & in Ancorato. *Chrys.* orat. 6. in Judæos, & orat. in *Petrum* & *Paulum.* hom. 23. in *Matth.* Item 83. & hom. 87. in Joan. & hom. 12. ad pop. Antioch. & hom. 9. de pœnit. *Cyrill. Alexandr.* lib. 2. in Joan. c. 12. & l. 4. c. 28. & l. 10. c. 41. & lib. 12. c. 64. & l. 14. *Thesaur.* c. 2. *Isidor. Pelusiot.* l. 1. Epist. 142. 235. lib. 2. Epist. 58. & 59. *Sozom.* l. 7. c. 4. *Theodor.* in c. 1. ad *Galat.* Conc. Chalced. act. 5. *Joan. Damasc.* orat. de transfig. Dom. & hist. *Barlaam.* c. 11. *Theophylact.* in 16. *Matth.* In 22. *Luc.* 21. In *Johan.* 21. In Epist. ad *Galat.* cap. 1. *Oecumenius* in c. 1. *Act.* in c. 1. Epist. ad *Galat. Euthymius* in 16. *Matth.* & 21. *Johan.* & 16. *Marc.* hæc de Græcis. Honoratur etiam à Latinis universis, quos, ni simus nimis profusi, vide citatos apud *Jodocum Coccium* in *Thesaur.* l. 7. art. 4. qui & art. 5. ostendit & Græcos & Latinos Patres consentire *Petro* successisse Romanos Episcopos; ut expresse *Augustin.* Epist. 165. & contra literas *Petil.* l. 2. c. 51.

[b] Doctissime explicat Primatum S. Pontificis. *Vigorius* in Com. ad Epist. synod. Basil. sect. 4. num. 1. his verbis. *Primatus ad*

hoc non erat, ut omnia pro imperio ageret successor Petri, sed ut Concilii Ecclesiastici, i. e. Cleri esset Moderator & Praeses, ut ait Cypr. Et in rebus arduis & magni momenti Concilium Episcoporum cogeret, quibus praesideret: ut patet ex Canon. 33. Apost. Et qua plenitudinem potestatis spectant Romani Pontificis, ea specialiter illis post ea accesserunt, aut a Conciliis, aut usu, aut consuetudine, aut propter urbis amplitudinem, aut ab Imperatoribus. Idem tradit *Duarenus* de beneficiis. Et jus Romanum, quod citat *Vigorius* ibid. id aperte tradit. c. *Conquestus.* 9. q. 3. & c. 2. de off. Jud. ord. *Primatus vel Patriarchas nihil privilegii habere pra caeteris Episcopis, nisi quantum sacri Canones concedunt, & prisca consuetudo illis antiquitus contulit, definimus.* Et in tract. de *auctor.* Conciliorum brevi edendo; fuse ostendimus, Pontificem Romanum respectu aliorum Episcoporum, qua successor *Petri* est, jure divino ratione Primatus nihil actualis jurisdictionis habere, plus quam alii Episcopi habent: sed ad summum potestatem quandam habitualem habet, per Canones Ecclesiæ, pro commodo Reip. Christianæ extendendam aut diminuendam.

[c] Pulcre distinguit *Tertull.* inter cæteros, duplicem hunc Christi adventum. Apolog. c. 21. ubi *primum* vocat *adventum in humilitate*

militate conditionis humanæ; secundum in sublimitate divinitatis exertæ. Idem lib. adverſ. Judæos. c. 11. & lib. 3. contra *Marc.* c. 4. vocat *in ſecundo adventu Chriſti poteſtatem ejus Regiam.*

[d] Doctores, qui aiunt Papæ jure divino non competere temporalem poteſtatem, moti ſunt ad id aſſerendum, ex eo, quod Chriſtus eam non habuit in primo adventu. Doctores pene ad num. 40. citat *Widringtonus* in Apologia, quos apud eum vid. ſect. 4, 5, 6, &c. Contentus eró hic judicium ſolum Cardinalis *Aliacenſis* afferre. Hic in quæſt. de Reſum. *Si aliqua dicta ſanctorum videntur innuere, quod judicia ſecularia ad Epiſcopos pertinuant, debent intelligi non de judicio coactionis, ſed de judicio diſcretionis: & hoc ad eos pertinere non jure naturali aut divino, ſed humano aut poſitivo. Chriſtum & Apoſtoli Principum legibus ſe humiliter ſubjecere voluerunt; videturque eſſe temerarium dicere prædicta eſſe de jure divino*: Et *Aliacenſis* probat ſuum dictum de *Chriſto* ex *Johan.* 18. ubi *Chriſtus fatetur Pilatum habere poteſtatem à Deo datam judicandi ipſum.* Verba ſunt *Aliacenſis.*

[e] De ſuprema poteſtate Regum pulcra eſt antiquæ Eccleſiæ confeſſio apud *Tertull.* c. 30. Apol. *Imperatores à Deo ſunt ſecundi*

cundi, post eum primi. *Imperator ideo magnus quia cæteris minor est. Inde est Imperator unde est & homo, antequam Imperator. Inde potestas illi unde & spiritus.* & c. 33. *Deo soli subjicio Imperatorem,* & c. 34. *Est Dominus vicarius Dei.* Et ad *Scapul.* c. 2. *Est homo à Deo secundus, solo Deo minor, omnibus major, dum solo vero Deo minor est.* Hæc ille.

[f.] Videatur de hac re fusissima disputatio apud auctorem Apologiæ *Andreæ Duvallii*, in qua defenditur consuetudo Parlamentaria in Gallia contra sess. 25. c. 3. Concilii Trident. ex mente *Duvallii*, qui 3. part. de potestate Pontif. qu. 3. ex *Paulo, Rom.* 13. *Act.* 25. ex *Chrysost.* in c. 13. ad *Rom.* & glossa, defendit etiam *Clericos & Monachos subdi imperiis Principum secularium, & per eorum leges gubernari, quatenus pertinent ad bonum statum in regno societatem, quæ maximè pacem & tranquillitatem fovet, quæ non possunt non attingere Clericos, ita ut illi necessario parere debeant, non obstante Clericatu.* Et quo jure id dicit de personis Ecclesiasticis & spiritualibus Clericorum, debet id etiam asserere de eorum actionibus corporeis, etiam sacris, & spiritualibus: & hanc doctrinam, ut fuse in dicta Apologia probatum est, asserunt *Chrysost.* & glossa locis citatis. Et rationes quæ ex scripturis & Patribus adducuntur

cuntur à *Bellarm.* lib. 5. de Rom. Pontif. Ad probandum quandoque potestatem temporalem subdi Ecclesiasticæ in ordine ad finem spiritualem; probant etiam Ecclesiasticam subdi temporali in ordine ad finem temporalem, quoties ei obsunt aut conducunt necessario. Expresse etiam hanc doctrinam inculcat *Aug.* lib. 1. cap. 7. contra *Parmen.* & vocat *contradicentes imperitissimos. Occam* in tract. de Jurisdict. Imperat. in causis Matrim. ait: *dicere, quod causæ spirituales nullo modo ad Imperatorem fidelem pertineant, à nonnullis erroneum judicatur: atque spiritualia circa quæ præcisè potestas Episcopalis versatur, sunt spiritualia, quæ in solis divinis scripturis sunt tradita, & quæ nequaquam fidelibus & infidelibus sunt communia.* Et in Dialog. c. 99. ait, *est evidens, Ecclesiæ pacem perturbantes, debere comprimi per seculares potestates.* Et in hoc cum *Occamo* sentit Glossa in c. 23. q. 5. c. Princeps. Idem *Pelagius* Papa 23. q. 1. c. *Quali. Joan. Parisiens.* l. de potestate Papæ. c. 14. ait, *quando Papa in spiritualibus, & collatione simoniaca Beneficiorum maledicendo scandalizat Ecclesiam, nec aliud est remedium, Imperator requisitus debet procedere contra Papam.* Et *Conc. Basil.* Sess. 2. dat Jurisdictionem, puniendi contemtores Canonum, per magistratum secularem. *Duvallius* part.

3.

3. q. 3. de poteſt. Papæ. *Eſt offenſivum Regum dicere Clericum parricidam, Veneficum, Proditorem, vitæ Principum inſidiatum, non poſſe à judice ſeculari puniri. Et hæc in Gallia ſuſtineri non poſſunt. Glrſſ.* in c. 13. ad *Rom.* citat *Hieronymum* in *Hieremiam.* Et habetur 23. q. 7. *Hincmari Rhemenſis* de poteſtat. Reg. c. 17. *Principes debere defendere Eccleſias, etiam contra abuſus Prælatorum. Paludanus* tract. de poteſt. Pap. *Turrecrem* l. 3. de Eccleſ. c. 106. *Jacobat.* l. 8. a. 3. num. 6. *Silveſt.* Papa id docet. Poſt *Innocent. Hoſtienſ. Antonin.* quos citat *Duvall.* part. 4. q. 11. p. 615. *Cajet.* Opuſ. de Papa & Concil. c. 27. *Simanch.* de hæret. c. 3. Seſſ. 3. & c. 44. Seſſ. 31. *Panorm.* in c. *Sicut.* de jurejur. Card. *Bellar.* l. 2. de Concil. c. 19. & ult. *Pontifici Eccleſiam deſtruenti licet repugnare vi & armis.* Idem *Sayrus* in Theſaur. l. 12. c. 7. num. 8. & *Joan. Pariſ.* lib. citat. c. 14. ait, *Eccleſiaſticos delinquentes in ſpiritualibus incorrigibiliter; in ſubſidium juris, invocatione brachii ſecularis corrigi poſſe, quod maxime habet locum in Francia,* c. 11. Ratio eſt: actus peccati ſpectat ad vitium illud imperans; ſi ergo crimen læſæ Majeſtatis imperet actum ſpiritualem, v. g. Adminiſtrationem Sacramentorum, Adminiſtratio ſpectabit ad læſam Majeſtatem, & induet ratio-

nem

nem temporalem: ut contigit anno 1304. in sacerdote qui porrigendo communionem interfecit *Henricum* 7. Imperatorem, ut est apud *Genebrardum* & *Carionem*. Porrectio illa imperata à crimine illo, ut sic, est res temporalis, corrigibilis per Magistratum politicum. Et ita tenet *Widringtonus* in Apolog. num. 154, 156. ubi vult, *prædicationem Evangelii, quatenus iniquè turbat Rempublicam, posse puniri à judice seculari.* Et *Duvall.* 3. part. q. 3. p. 353. ait, ex *Navarro* c. 27. Enchirid. num. 70. *consuetudinem Galliæ cognoscendi de causis Ecclesiasticorum per seculares esse immemorialem.* Idem *Covarruv.* in pract. qq. c. 31. & citat *Joannem Fabrum, Aufrerium, Gulielmum Benedictinum, Tiraquellum*; Videatur *Bochellus* l. 2. decret. Eccl. Gall. tit. 14. c. 146. vid. cap. *Carol. Mag.* lib. 5. c. 42. p. 122. edit. Paris. ubi *Judices Regii puniunt Episcopos & Presbyteros. Philotheus Achillinus* in somnio c. 36. ait, *Reges absolutos frui privilegiis, & jure Imperatorum in suis regnis.* At constat ex *Balsamone* in can. 38. 6. synod. poterant olim Imperatores ἐπισκοπὰς ποιεῖν ἐκ νέου, & exercere quamcunque Ecclesiasticam οἰκονομίαν κατὰ τὸ δόξαν αὐτοῖς. Vid. *Balsamon.* in c. 17. *Chalced.* & 16. *Carthag.* Reges ergo præscripserunt auctoritatem in spiritualibus ex concessione Ec-

clesiæ

clesiæ confirmantis priscos pacificos usus. Vid. Cod. *Justin.* ubi sunt leges Imperiales de *fide Catholica*, de *sanctis Ecclesiis*, & earum privilegiis, *Episcopis, Clericis, Orphanotrophiis, Monachis, Asceteriis*, eorumque privilegiis. Et l. 5. Cod. de *causis Matrimonialibus*. Ex 14. tit. Nomocanonis *Photii*, nec unus est qui non scatet legibus Imperialibus de rebus sacris.

Dum Episcopi 2. synod. vocarentur Romam, *Theodosius* eos convocat Constantinopoli. *Sozom.* c. 7. l. 7. *Niceph.* l. 12. c. 15. *Theodoret.* l. 5. c. 7. In Gallia ab initio Christianitatis ibi receptæ, Reges agebant de causis spiritualibus: ut patet ex Concil. *Aurelian.* sub *Childebert.* c. 12. *Cabilonensi* sub *Clodoveo* c. 1, 5, 9, 23. Concil. *Arelat.* 4. in Prolog. sub *Carolo Mag.* *Turonens.* 3. c. 51. *Cabilon.* 3. in præfat. *Mogunt.* 1. in præfat. *Rhemens.* sub *Carolo Mag.* in præfat. *Aquisgran.* 1. sub *Ludovico Pio. Parisiensi* sub *Ludovico* & *Lothario* in eorum Epist. & in præfat. & l. 2. Concilii c. 2, 8. & l. 3. c. 11, 13, 14, 22, 23, 24, 26. *Flodoardus* in vita *Hincmari* l. 3. c. 1. scribit *Carolum Calvum* convocasse synodum *Bellovaci*, de negotiis Ecclesiæ *Rhemensis*. Idem, *Binius* tom. 3. Conc. p. 344. Concilii *Meldens.* c. 78. Epistola synodalis *Caroli Calvi* in Concilio *Carissiaco*. Concil. *Pisense*, 863. c. 1. *Wormatiense*,

tiense, *Triburiense*, sub *Arnulpho* Imperatore in Epist. synod. *Aurelian.* sub *Roberto* 1017. *Stampense* tempore sancti *Bernardi* idem docent. Ex quibus constat Reges Galliæ de rebus spiritualibus modo dicto egisse: eorumque auctoritas & consuetudo præscripta translata fuit ad curiam Parliamentariam, quæ sub *Ludovico* 10. incepit esse stataria; ut *Gagvin.* l. 4. *Nicolaus Egid.* in *Hulmo. Genebrard.* in Chron. l. 3. an. 756. testantur.

Parliamentum semper pro lege inviolata servavit capitularia *Caroli Magni*, quorum. l. 2. sic ordinatum est: *Ecclesiastici, si causa orta fuerit, quæ aut ad inhonorationem Regni, aut ad commune damnum pertineat; quæ sine nostra potestate corrigi non possit, nos diu latere non permittatis. Hæc omnia corrigere debemus, & quicquid in his, quæ ad pacem & justitiam totius populi pertineat, & ad honorem regni, & ad communem utilitatem.*

Rituale consecrationis Regum Francæi apud *Bochellum* l. 5. decret. tit. 2. profert juramentum Regis; scil. *Ecclesiis Canonicum Privilegium, & debitam legem atque justitiam servare, & defensionem exhibere.* Rex etiam ibi vocatur ab Archiepiscopo eum coronante, *particeps ministerii ipsius.*

Pulcre Constantinus apud *Euseb.* de vita

Y Constan-

Conſtantini l. 4. c. 24. Τμεῖς περὶ ἔσω, ἐγὼ ὑπὲρ ἐκτὸς ἐπίσκοπος &c. *Cauſ.* 20. q. 5. *Principes ſeculi intra Eccleſiam poteſtatis culmina habent.*

Concludam ex *Pariſ.* ſolidiſſimo Theologo, tract. de poteſt. Pap. c. 21. *Spirituale jus Collationis* &c. *poteſt competere Laico ex conſuetudine.* Ait autem duplex *eſſe ſpirituale*; *unum per Cauſalitatem, quo gratia ſpiritualis cauſatur*: *Alterum per Concomitantiam*, idque *per conſequentiam, vel per Antecedentiam*: ait autem nec *ſpirituale primum*; *ut Adminiſtratio ſacramentorum, nec quod conſequitur jus ex eo poſſe competere Laico*: *Bene tamen poteſt jus Antecedens annexum ſpiritualibus officiis*; *ut Præſentatio, Collatio*: *præcipue ex conceſſione Eccleſiæ, & ex longa conſuetudine præſcripta*; *poteſt Rex hoc jus ſibi acquirere, quia hoc ei non repugnat.* Et hic finis eſto.

Τῷ θεῷ μόνῳ δόξα.